

Hermann Schuckmann Theodor Gerber

Dissertatio Theologica, exhibens Articulum Fidei De Praedestinatione, Quoad Thesin & Antithesin

Rostochi[i]: Richelius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740010182>

Druck Freier  Zugang



R. U. Med. 1656.

Schückmann, Hermann

Verf.: Serberg, Theodor

46
58

DISSERTATIO THEOLOGICA,
exhibens
ARTICULUM FIDEI
DE
PRÆDESTINATIONE,

Quoad Thesin & Antithesin,

Quam
Assistente & Auxiliante Divinâ Gratiâ,
ut &

Amplissimo Theologorum Ordine in præ-
illustri ad Varnum Universitate approbante,

SUB UMBONE,

VIRI

Admodum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi

DN. HERMANNI Schuckman/

SS. Theol. Doctoris & Professoris P. Consistorii Du-
calis Ecclesiastici Adressoris gravissimi, dignissimi; Dn.

Præceptoris, Promotoris & Fautoris sui magni,
debito observantiæ cultu ætatem deven-
randi ac colendi.

Ad diem XV. Octobr. horis matutinis in Auditorio Majori
publico Doctorum Examine sistit

AUTOR

THEODORUS Gerber/

Walsoda-Lunaburgicus.

1760

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr.

ANNO 1760 Læc LVL

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

55



ΓΓΓΓ

Προούλιον.

Quam arduus sit Articulus de aeternâ fidelium Electione, ut reli-
 quorum basis, postquam mente mecum crebrò agitavi, consilium
 demum inii, ut ideò isti præ reliquis fidei Articulis cogitationes
 meas intra privatos parietes impenderem, ac publico discursui
 eundem sisterem; quò animum, aliàs sæpè fluctuantem circa illum articu-
 lum, tam in thesi, quàm antithesi, privato hoc meo studio Academico, ex-
 ercendo, feliciorer redderem atq; obfirmarem: Rem uti aggressus sum,
 ità assistente, viresq; Gratiâ Divinâ sufficiente, feliciter ea cecit. Cuius
 verborum ambages proin recto pede, proposito sacro insisto, idq; quod pro
 Ingenii modulo præmeditatus sum, impræsentiarum placida Eruditorum
 disquisitioni committo, prius suspiciens: Domine JESU! altam ingre-
 dimur, abyssum, fac ne submergamur, duc nos per sanctissimum tuum
 Spiritum in omnem veritatem secundum verbum tuum, quod est veritas,
 Amen. Estò itaq;.

POSITIO I.

Fons & Norma omnis divinæ actionis in tempore de nostra Sa-
 lute suscipiendæ, est æterna DEI Prædestinatio, inde Regula
 Theologorum: Uti DEUS ante tempora de nobis ad salutem
 adducendis constituit, ita nos in tempore ad salutem adducit.

II. Προοιζεν Prædestinare, est firmo & stabili proposito, an-
 tequam res vel sit vel fiat per certa media ad certum præstituerè fi-
 nem. Estq; vocabulum hoc, vel Ecclesiasticæ, vel Biblicæ usurpatio-
 nis. Scriptoribus Ecclesiasticis prædestinatio ἐπιούρωσ notat & decre-
 tum Electorū ad requiem, & Reproborum ad damnationem, videatur
 Augustin. lib. 1. de prædest. & lib. de Civit. Dei. Sensu Scripturæ tan-
 tum notat decretum circa rem & finem salutarem, & applicatur tum
 rei mysticæ, I. Cor. II, 7. tum personis Rom. II, 9, 29. & 30.

A 2

III. Ele-

III. Electio seu Eligere sumitur (1) *Generalissimè*, pro segregare id ex aliquo cœtu quod est amabile, sive tale sit bonum *Φαυοπισ-
τως*; Luc: XIV, 7. sive *ὄψιως* Luc: X, 42. & tribuitur vel rebus ut Je-
junio &c. Esa: LIX, 6. vel personis, ut Angelis I. Timoth: V, 21. Ho-
minibus Exod: XV, 4. (2) *Specialiter* pro Electione ad certum fi-
nem, & applicatur Rei I. Sam: XVII, 40. Psal: LXXIIX, 67. Perso-
nis, ut Christo, cujus finis erat auxiliari aliis, id quod Judæi ipsi expo-
brant Luc: XXIII, 35. Apostolis, hinc & inde. (3) *Specialissimè*, pro
Electione ad vitam æternam Rom: VIII, 33. & ita contradistingui-
tur apud Orthodoxos Electioni ad gratiam I. Thessal: I, 4. & ad Eccle-
siam, Act: XIII, 17. hinc Israelitæ dicuntur Genus electum, I. Epist:
Petr: II, 9.

IV. Contrarium Electionis est Reprobatio seu *ἁποδομιὰς*, quod in genere est rem aliquam ut nullius momenti respicere, Jer: c. VI, v. 30. Hebr: VI, 8. applicatur ad personas, quarum nulla habe-
tur cura & observantia propter inutilitatem, & quidem vel præpo-
siterè sine veritate causæ Marc: XII, 10. vel justè & ob veritatem culpæ,
Rom: I, 28. Talis reprobatio est (1) quandò DEUS gratiam suam
speram subtrahit, ut minatur Judæis Matth: XXI, 43. & de illis Pau-
lus affirmat Rom: XI, 1. (2) quando homini beatificam suam visio-
nem ex justo judicio olim denegabit, & ita hoc vocabulum est hujus
loci, dicitur aliàs descriptio ad judicium Judæ v. 4. & constitutio ad
iram I. Thessal: V, 9.

V. Prædestinatio & Præscientia in significando non æquo am-
bulant passu: Nam (1) Præscientia ex parte Dei est actus divini intel-
lectus. Prædestinatio verò est & Intellectus & voluntatis actus, vid.
thes. seq. (2) Præscientia stat, omni etiam prædestinatione remo-
tâ, est hæc præscientiam supponit (3) Præscientia ex parte objecti
terminatur ad quodcumq; objectum sine addito, sive sit positivum sive
privativum, id est, sive bonum sive malum. Prædestinatio verò re-
spicit objectum bonum cum addito, hominem scil. finaliter creden-
tẽm. (4) Præscientia non infert rebus præscitis causalitatem h. m.
Quia DEUS futurum cognovit, necesse est, nos facere, quod ille præscivit.
Ita enim nulli essent actus cum indifferentiâ, imò nec ipse DEUS es-
set indifferenter agens, cum & actionum divinarum apud DEUM
fiet

stet infallibilis præscientiæ. Prædestinatio verò suo modo habet rationem causalitatis, & quidem *tùm* in ordine ad totum de salvandis hominibus decretum, h. m. *Quia DEUS ante tempora de nobis ad salutem adducendis tali & non alio modo constituit, ergò & tali, & non alio modo homines in tempore ad salutem adducit, tùm* etiam in ordine ad salutem Electorum, quam decernit, procurat, efficit, adjuvat, & promovet.

VI. Pleriq; Calvinianorum ex nudâ DEi præscientiâ Prædestinationis Articulum metiuntur, verùm produnt eo ipso suam inscientiam, quâ distinguere nesciunt, inter scientiam Simplicem & Approbationis. *Simplex* est, quâ DEUS nudè omnia intueri consideratur sine respectu an approbet necne? *Approbationis* verò est, ad certum objectum determinata, juncta cum affectu & propensione. Præscientiæ verò vocabulum in Articulo prædestinationis non venit notione priori sed posteriori, quatenus ad certum Objectum, nempe ad fidei præscientiam, quæ est Electorum propria cum approbatione determinatur, quam præscientiam semper Prædestinatio præsupponit. Rom: IIX, 29

VII. Vocabulum Præscire, junctum in sede Prædestinationis, cum vocab. Prædestinare, Calvinus lib. 3. *Institut. cap. 23 §. 7.* & Marlotus ad *Verf. 27. cap. IX. ad Romanos, dicunt*, esse Prædestinationis Synonymum; Verùm absit, sacris literis *βαπτισμῶν* immittere, quæ utiq; immittenda esset, stante hoc Calvinistico asserto v. g. Dic, Rom: IIX, 29. Præscire idem esse quàm prædestinare, nonne Paulus ibidem ineptiret? quid enim hoc modo, aliud est dicere: Quos præscivit illos prædestinavit, quàm dicere Identicè: Quos prædestinavit, illos prædestinavit? Idem & fieret in illo I. Ep. Petr. c. I. v. 1. 2. *Elegit nos, & ἐπέγνωσεν*, id est, Secundùm Electionem. Beza in annot. Major. ad v. 28. Rom. IIX. Synonyma hujus articuli facit *ἐπέγνωσεν, ἐπέγνωσεν & ἐπέθεσεν*. Decretum illud sensu Calvinistico absolutum vocat *ἐπέγνωσεν*, prout non temerè & fortuitò sed inscrutabili sapientiâ præeunte fuerit conceptum, *ἐπέθεσεν* verò quatenus semel est fixum, & quod ad eventum atinet planè immotum. *Πεπέγνωσεν* quatenus per medias causas ad certos fines tùm in Eligendis tùm in reprobandis dirigitur.

XIX. Nos dicimus: Terminos illos non esse Prædestinationis
 ἰσοδυναμίας, cum in æterno de nostra salute decreto ordinentur à
 Spir. S. & de DEO enuntientur per Συγκατάθεσιν, seu ad nostrum
 concipiendi modum. In effecti alicujus prædeterminatione occur-
 runt circa Efficientem (1) πρῶσις sive Præcognitio finis, illam
 præcognitionem sequitur (2) Βύλησις seu θέλησις, quâ voluntas rem
 ab intellectu cognitam appetit, ut verò illam appetens consequatur,
 suscipit (3) Βύλευσιν seu consultationem de mediis, Βύλευσιν dein-
 de claudit (4) πρῶσις sive προαίρεσις, firmissimum propositum
 nempe taliter vel taliter, hisce & non aliis mediis, rem illam velle
 efficere.

IX. Applicatio horum terminorum in scriptura propositio-
 rum ad decretum Electionis est talis: Secundùm πρῶσιν DEUS
 novit hominem creatum & in peccata prolapsum, posse ad gloriam
 DEi sublevari. Secundùm θέλησιν seu θέλημα hominem voluit sub-
 levare I. Tim: II, 4. Quoad Βύλευσιν verò consultationem instituit
 de mediis Actor. XX, 27. Tandem πρῶσις seu ἀδοκία ponit cer-
 tum propositum, se sc: misso filio, & vocatis omnibus omninò ho-
 minibus, omnes, filium finaliter fide apprehendentes velle æternam
 beare, II. Timoth: I, 9.

X. Prædestinationis Synonymum est Electio, considerata
 scil. in re substrata, hinc D. Paulus in ordinariâ sede hujus disputatio-
 nis Ephel. cap: I, 4. 5. utrumq; vocabulum eodem sensu verbis im-
 mediatè connexis usurpat, & tam Electionem quàm Prædestinationē
 πρὸ κατὰ βολῆς κρίσις sive ab æterno factam affirmat. Formaliter
 tamen terminus Electionis distinguitur à Prædestinatione, cum Ele-
 ctio præcisè notet segregationem & involvat aliqualem discretio-
 nem & respectum ad oppositam reprobationem, sive respectum ad
 damnatos, à quorum catervâ Credentes in Christum seliguntur Joh:
 cap. XV. v. 19: Prædestinatio verò sub formali notionē notat segre-
 gationem ad terminum, qui terminus est Vita æterna, & dicitur et-
 iam scriptio in Libro Vitæ. Liber Vitæ nihil aliud est, quàm Catalogus
 Electorum: Allegoricè verò Librum Vitæ Formula Concordiæ vocit-
 at ipsum CHRISTUM, quàmvis enim Christus formaliter non sit
 Vita

Vitæ liber, nihilominus tamen ita orthodoxè dicitur, tùm quatenus in ipso, ipsa ad vitam Electio facta est, tùm quatenus Electi ipsius corpori Mystico ut viva membra fide inseruntur. Hæc scriptio in Libro Vitæ, id est, in Christo potest esse duplex: I. Credentiam, Philip. IV, 3. II. finaliter in fide perseverantium, Apoc: XX, 15. & Apoc: III, 5. quæ notio ultima huius loci est propria.

XI. Electio seu Prædestinatio, licet ante decreti executionem sit ipsum DEI decretum, sive sententia decretoria ab æterno facta, & certis personis, videlicet finaliter credentibus in tempore applicanda, nihilominus tamen prout Electio concipitur ut Actio, quæ sententiam ab æterno decretoriam certis personis in tempore jam applicat, Electio à decreto distinguitur, cum Electio illa in tempore, sit ordinatio ad salutem, quæ sit secundùm illam æternam Electionem sive propositum: pro diverso itaq; vocabuli huius conceptu Electio ab Orthodoxis effertur & per Decretum & per ordinationem sive actionem. Consule Libellos Catecheticos.

XII. Circa actum Prædestinationis in foro Theologico quæritur Num Electionis decretum magis sit divini Intellectus, an verò voluntatis Actus? Resp. Scripturam illud decretum transferre ad utrumq;. Decretum enim vel sine actu intelligendi vel volendi destruit perfectionem ex parte decernentis; Ipsa tamen Electio strictè sumpta pro ultimo prædestinationis actu, formaliter atq; essentialiter actum notat voluntatis, sed talem cui præit actus Intellectus; nihil enim est in voluntate eligente, quod non fuerit prius in Intellectu, hinc & orthodoxi transferunt Electionem & ad actum Intellectus & Voluntatis. vid. D. Hülfem. Brev. cap. XV. Hæc est illa, PRÆNOTIO DEI patris, hoc est, PROPOSITUM voluntatis divinæ, juxta QUAM & juxta QVOD dicimur Electi, &c.

XIII. Actum Intellectus quod attinet, quæritur hic: *Quomodo Intellectus divinus ad Electionis Actum se habeat?* Præsupponimus præsupponenda. Scientiam in Intellectu divino quamvis non distinguitur ex parte DEI, ob simplicissimam ejus essentiam, quæ DEUS cum suis attributis non tam est Indivisus quàm Indivisibilis, nihilominus tamen cum mens nostra in objectis scientiæ divinæ aliquem inveniat ordinem, ideoq; & illum sequitur, & scientiam Intellectus divini non

non confusè sed distinctè cum ordine in objectis istis fundato, apprehendit & dijudicat. Ordo autem in objectis duplex dari potest, alius potest dici ordo Naturæ, alius verò ordo Agentis liberè, *Ille est, qui constituitur eo modo prout ex ipsa rei natura necessariò floit, sic causa prior est effectu, Subjectum adjuncto, pars toto &c: Hic verò seu ordo Agentis liberè est, qui sequitur tantùm Indifferentiam, sive prout ille ordo est in mente Agentis.* Pro diversitate hujus ordinis Theologi duplicem DEO attribuunt scientiam, aliam dicunt, Speculativam, sive simplicem, Aliam verò Practicam sive Liberam. Illa est, quæ Deus omnia intelligit secundùm illum ordinem qui sequitur ipsam naturam, non observato suæ liberæ voluntatis actu, sic prius intelligit causam quàm ejusdem effectum, hominem quàm ejus peccatū, peccatū quàm conversionem, conversionem quàm finalem ejus perseverantiam. Hæc verò Practica, quæ res eo ordine scit, non quem ex sua natura obtinent, sed quem pro Indifferentia actionis suæ fieri & permittere decrevit. Ita prius cognoscitur Christus in typis & umbris, quàm in suo vero sacrificio, Christus in statu Exanationis prius quàm in statu Exaltationis. Sic in hominis conversione, quia DEUS ut liberè agens noluit immediatè largiri fidem, sed supposito verbo: verbum ergo prius cognoscitur, quàm fides, fides prius quàm calamitates, quibus fideles fiunt *Κύριοι ποί & εὐεὶ & ἰσθ* *Θεῶ, Rom: IIX, 29.* calamitates prius quàm earum præmium. Utraque hæc scientia *vel est purè talis,* ita ut sit vel tantùm secundùm ordinem naturæ vel tantùm secundum ordinem liberè Agentis, *vel est Mixta sive Media,* ita ut DEUS intelligat quidem rem secundùm ordinem liberè à se constitutum, sed ita ut simul sciat, quid vel Angeli vel homines secundùm illum rei ordinem pro sua libertate sint vel non sint futuri, possint vel non possint facere. Hisce positis, respondemus ad quæstionem datam, & dicimus *cum Magnifico Dn. D. Dorstheo, dissert. de volunt. Dei, & scient. Med: contra Trigland: pag. 124.* Medicam scientiam hujus esse loci: quæ Infallibiliter DEUS novit, si sub hoc vel illo ordine rerū positis tantis aut tantis auxiliis concursum suum cum voluntate libera ordinet ex libertatis medietullo, hunc vel illum actum emer surum, & sic decrevit, quod infallibiliter sit concursurus.

XIV. Actum voluntatis seu volitionem divinam quod attinet,

NON


non est simplicis Affectus quem *Scholastici* Vellejatem dicunt, sed COMPLACENTIÆ EFFICACISSIMÆ, ordinata ad certa nostræ salutis media, estq; hæc volitio ex parte subjecti unus simplicissimus Actus, quò DEUS & voluit hominem creare, permittere lapsum, mittere filium, offerre omnibus & singulis per Evangelium conversionis gratiam, & tandem in fide perseverantem eligere: ex parte verò objecti extrinseci, ad quod actus hic purissimus terminatur, actus hic voluntatis de Creatione, Redemptione, Justificatione, Prædestinatione in effectis & objectis est distinctus.

XV. Forma Prædestinationis consistit in ordine, quem Deus servavit in sanciendo Electionis decreto. Ordo hic consistit secundum & Intellectionis & Volitionis divinæ actus ex parte Objectorum, non verò subjecti, distingvendos; estq; talis: DEUS prævidit, peccato Adami omnes homines in æternum ruituros exitium, posse verò adhuc inde liberari; hinc voluit I. Omnium misereri, uti etiam misertus est, Rom; XI, 32. & hæc est *Φιλανθρωπία* satis in sacris decantata. II. Hæc *Φιλανθρωπία*, ne nudus esset benevolentiae affectus, decrevit, realiter eandem, omnibus in redemptionem mittere filium, exprimere, & uti decrevit sic in tempore expressit. III. Proposuit omnibus hanc redemptionem ET SUFFICIENTER ET EFFICACITER, Actor. XXVI, 17. 18. mundo annunciare, ut omnes & singuli verà fide redemptionem sibi applicarent, Luc. XXIV, 47. & ita hæc Servatoris redemptione omnes vitæ æternæ essent participes. Hoc est illud propositum & beneplacitum voluntatis divinæ, secundum quod in Christo electi dicimur Eph. I, 9. Imò Electi in sanctificatione Spiritus & fide veritatis, II. Thess; II, 13. Omnes hos tres actus Orthodoxi comprehendunt voluntate divinâ, quam vocant ANTECEDENTEM: Et consistit hæc voluntas in hoc: VOLO SALUTEM OMNIUM & singulorum sed ita: SI &c. SIN; NOLO.

XVI. Voluntatem antecedentem excipit VOLUNTAS CONSEQUENS, quæ comprehendit quartum & quintum Actum, quorum ille ut actus Intellectus, hunc, ut actum Voluntatis antecedit. Quartus ergo Actus est Actus Intellectus, quò præscivit, hunc & illum Evangelio esse obtemperaturum, inq; Christum finaliter crediturum; contra: hunc & illum in contumaciâ permanfurum & fidem finali-

finaliter excussurum, Rom: IX, 29. Quintus Actus, est Voluntatis Actus, secundum quem hunc & illum quem crediturum præscivit, & quidem finaliter, Apoc: II, 10. prædestinavit, hunc verò & illum, quem vidit fide finaliter excessurum, reprobavit, Marc: XVI, 16.

Schema quo omnes hi actus ad oculos delineari queunt, esto tale:



XVII Ex his sequitur: Objectum voluntatis tum antecedentem consequentem quoad personam esse hominè peccatorem, merito Christi sub conditione fidei beabilem: quoad rem verò esse vitam æternam, hæc tamen servatâ distinctione: Objectum quoad rem in voluntate antecedente tantum est vita æterna Joh: XII, 47. quoad personam verò Adamus in peccatum prolapsus, & Idealiter representans omnes & singu-

singulos, in & cum eo simul prolapsos, & ad mediorem ^{τὰ ζ' ιν'} quam DEUS omnibus & singulis prolapsis ad salutem constituit, beandos. In voluntate verò consequente objectum quoad personam & rem, est itidem quidem vita æterna, non verò ulterius omnibus & singulis applicanda, sed certis personis, actualiter ab æterno *decretivè* applicata, illis nimirum, in quibus media ad salutem, omnibus & singulis ordinata, finem illum obtinere ab æterno vidit, quem DEUS in omnibus & singulis *efficacissimè* efficiendum mediis istis indidit. Hinc illud Johan: VI, 40. Inde apparet; Reprobationis causam non esse quærendam in voluntate Antecedente, (quæ obinde aliis dicitur voluntas Gratiæ) Nec in voluntate Consequente, intellige Causaliter seu Effectivè, ac si voluntas hæc ex absoluto decreto damnationem reprobis effectivè causer; sed Reprobatorum damnatio quærenda est in hæc voluntate Consequente (quæ obinde aliis dicitur Voluntas Justitiæ) declarativè & judicialiter, quæ DEUS ut justus Judex ad verbum in tempore mundo propositum, & ab Impœnitentibus spre- tum, æternis pœnis eosdem adjudicat: Inde est, quod damnationem Christus à se & suo parente declinet, & Impœnitentibus in sinum ingerat, Job: XII, 47. 48. cap. III, 17. 18. 19. cap. XV, 22.

XIIX. Causa Electionis prima est Gratiosa & Liberrima DEI voluntas Rom: IX, 15. 16. 18. Ephes: I, 11. Occasionem præbuit prævisio miseriæ humanæ. Causa proxima, determinans voluntatem ad Electionem, est Intuitus meriti Christi fide apprehensi in horâ mortis. De Christo testatur expressa litera Ephes: I, 4. 5. 6. II. Timoth. cap. I, v. 9. De fidei intuitu testatur Scriptura cum docet prædestinationem factam esse juxta prævisionem, Rom: IIX, 29. I. Pet: I, 2.

XIX. Causa determinans voluntatem ad reprobationem, est Incredulitatis prævisio; sicut enim juxta præscientiam quosdam elegit, ita etiam juxta prævisionem quosdam reprobavit. In actu Justificationis Fides est causa Instrumentalis, scilicet respectu hominis qui fide ut Instrumento meritum Christi apprehendit; in Actu verò Prædestinationis quidam negant, fidem commodè dici habere rationem instrumenti, cum instrumentum in omni actione sit instrumentum sui agentis principalis, qui in Electione est ipse DEUS. Alii malunt fidem nuncupare vel partem ordinis, divinitus in Electione consti-

constituti, vel Causam sine quâ Non, quam veram causam; eligimur enim non propter fidem ut meritum, sed in fide tanquam parte ordinis. Quicquid autem sit de appellationibus, sufficit, si id teneatur, Electionem non factam esse absolute, sed cum *ἔως* ad fidem ex parte finaliter credentis *ὀρθανικῶς* sese habentem. Cum verò fidem veram Electionis causam appellamus, fidem non consideramus seorsim, ut peculiarem causam à merito Christi disjunctam, sed conjunctim unâ cum ipso merito Christi, quod fides, ut instrumentum *ἡ ἀληθειᾶς* apprehendit; siquidem meritum Jesu Christi sine ulla applicatione voluntatem DEI ad Electionis decretum ultimatam non determinavit, sed utrumq; conjunctim, meritum fide apprehensum, & fides apprehendens meritum.

XX. Finis Æterni Decreti in Electione est demonstratio *tum gratiæ, tum gloriæ divinæ*, Rom: IX, 22. 23. Ephes: I, 6. Rom: XI, 22. Fructus Electionis, ut & Justificationis est sanctitas, Johan: XV, v. 5. Ephes: I, 4.

XXI. Adjuncta Electionis sunt Æternitas Ephes: I, 4. Numerus, Immutabilitas & Certitudo.

XXII. Numerus Electorum est certus, ita ut DEUS noverit, quinam sint sui, id est, *referente Thoma part. 1. quest. 23.* non tantum formaliter, utpote quod centum salvandi, sed etiam materialiter, ut quod hi centum salvandi; qui numerus nec augeri nec imminui potest, scil: non absolute & à priori, sed hypotheticè & à posteriori.

XXIII. De certitudine Electionis quæritur: *An ita certi sint Electi de sua salute seu Electione, ut de illâ planè dubitare nequeant?* Responsum ad id quæsitum vide suo loco in Polemicis ad object: I. *controv: 6.*

XXIV. *Prædestinatio* est æternum, & certum divinæ voluntatis decretum, de certo & determinato hominum numero salvando, intuitu Christi, fide finaliter apprehensi, ad demonstrandam *Φιλανθρωπίαν* Dei sancitum. *Reprobatio* est æternum & certum divinæ voluntatis decretum, de certo & determinato hominum numero damnando, intuitu finalis Impœnitentiæ, sancitum ad demonstrandam justitiam divinam, ejusq; severitatem.

CON-

CONTROVERSIA I.

Qvæ. An Electio facta sit, sine ulla hypothesi, voluntate DEI absolutâ?

væstio hæc est una ex illis, quam maximè acriter Contra-Remonstrantes in Synodo Dordracena adversus Remonstrantes seu Arminianos defenderunt. Non est autem circa illam, omnium Calvinianorum una eademq; sententia, qvæ, pro diversitate Autorum, qvorum alii rigidiores, alii mitiores, varia. Rigidiores sunt Supralapsarii. Reliqui mitiores Infra Lapsarii, qvod nomen primum in Belgio sunt sortiti ex Synodo Dordracenâ.

SUPRALAPSARII.

Horum sententia hæc est: DEUM sine prævisione lapsus destinasse ad æternam mortem absolute & simpliciter certos homines, ita ut eorum tum damnatio, tum peccata DEO ab æterno placuerint & destinata ab eodem fuerint. Zanchius: Reprobi non reprobi sunt, ex prævisis eorum peccatis sed tantum ex beneplacito voluntatis divinae. Denatur. Dei lib. 5. Perkinus p. 26. DEUS pro summo Jure vasa adriam Facit, non invenit. Piscator in Disput: contra Schaffmannum: DEUS fecit alios ut essent vasa ad decus, alia, ut essent vasa ad dedecus. Keckerm: in System: Theol: pag: 37. DEUS in æterno & arcano consilio aliquos homines æterno exitio ex sese & propter sese adjudicavit, idq; antequàm ipsi erant, & aliquid fecerint mali; peccatum enim reprobationis causa nequaquam esse potest.

INFRA LAPSARII.

Illorum sententia hæc est: DEUM ex cœtu hominum jam sponte lapsorum, quibusdam ad vitam Electis, reliquos sine remedio in damnatione reliquisse, viamq; ad gratiam præclusisse. Hæc est communis hodiè sententia Doctorum Reformatorum. Ad hanc sententiam prolapsi per contentiones in Belgio cum Arminianis, ut si non omnes, horridas tamen illas formulas facerent missas. Huc faciunt verba, qvæ ex parte parietis ad Chorum exteriori in æde summa Basileæ, Theologus quidam celebratissimus, deq; Ecclesia nostra benè meritus, sive ex æpistolis, exscripsit.

*Temporibus certis fieri quacundq; videmus,
Vidit ab æterno, constituitq; DEUS.*

Ergo

*Ergo quod hic sequitur Christum, fugit alter ab illo
Vidit ab æterno, constituitq; DEUS.*

*Nec tamen ut trahit hunc, sic illum cogit abire
Causa sed interitus est sibi quisq; sui.*

*Omnes peccarunt, peccato hunc eripit: illura
deserit, & meritâ morte perire sinit.*

*Indq; hoc justitiam, bonitatem ostendit in illo,
Et vult hoc gemino laudis honore coli.*

*O DEUS hunc geminum tibi fac tribuamus honorem,
Ut ne iræ simus tristitia vasa tua!*

Sunt, qui & Augustinum, ferunt, ejusdem fuisse sententia, & quidem in certamine contra Pelagium, non tantum peccatum originale negantem, sed etiam necessitatem divinæ gratiæ ad convertendum hominem; qui dum à Pelagio urgebatur tali objectione: *Si homo ex peculiari tantum gratia divina convertatur, multis verò hæc gratia non obtingat, Ergo sequeretur, DEUM esse eorum causam damnationis.* Hic D. Augustinus quibusdam dicitur descendisse ad absolutum aliquod Dei decretum de certo salvandorum numero: quibus hæc gratia convertendi ex æterno decreto post lapsum obtingeret, & certo numero lapsorum, quibus ex æterno Dei decreto hæc peculiaris gratia non obtingeret. Cum autem obitent clara dicta, quæ universalitatem asserunt in salvandi decreto quoad voluntatem antecedentem, ex pediiit sese in *Enchiridio ad Laur. C. 103. Cum audimus, in sacris DEUM velle omnes homines salvos, id intelligendum, non, quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet, sed omne genus humanum intelligendum, Reges, privatos, Nobiles, Ignobiles, &c. confer: August. libr. de bono perseverantia, cap. 8.*

Verum manum de tabula! non enim ignoro, Viros magni nominis, & præclarè splendida nostræ Ecclesiæ lumina, omnem hujus rei suspicionem, ab exercitatissimo Augustini ingenio, amovere malle, quam quicquam præter mentem Ecclesiastici hujus Patris de ipso asserere; itaq; & ego facilis me Theologis hisce exhibeo discipulum, quorum informatione, ut in aliis sic & hæc in re me beatum judico, quam quid, meliori modo ab illis informatus, incaute defendam, in memoriam revocans verba hujus modesti alias animi Patris,
epist:

epist. III. *Non quorumlibet, inquit, disputationes, quàmvis Catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvã honorificentia, qua illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atq; respicere, si forte invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum.*

SENTENTIA NOSTRA ORTHODOXA.

Nostram sententiam priusquàm exponamus, juvat homonymias circa vocab: Absolutè vel sine hypothesi prænotasse.

1. *Non est questio:* An decretum Prædestinationis sit absolutum consequenter, id est, prout notat modum & rationem voluntatis executivæ; nam ipse *Paræus*, cujus judicium præmittitur Canonibus & laudatur à Synodo Dordracenâ, concedit, Electos nos esse in Christo consequenter, id est, ut Spiritu & fide inseramur Christo, tanquam membra capiti, essemusq; in Christo post Electionem. Hinc & *Sturmius thes. 7. disp:* *Præcipuum medium ad executionem hujus decreti subordinatum est ipse Christus.*

2. *Nec questio est:* De decreto prædestinationis complexè & generaliter sumptæ. Nam ita in hoc decreto plura dantur absolute decreta; nam sine respectu fidei misit filium, verbum omnibus annunciare decrevit, & velle efficaciter per verbum operari, sc: quoad gratiæ gradum primum, nam quoad majorem graduum collationem non absolute id decrevit, sed cum conditione primæ gratiæ non rejectæ, sic & absolute hominum, non Angelorum est misertus, quatenus non pro his sed illis remedium ordinavit.

Sed hic est cardo controversiæ:

Num DEUS in ultimo prædestinationis actu, quem Electionem dicimus, huic vel illi homini antecedenter citra intuitum & meritum Christi & fidei, salutem vel adjudicavit vel denegavit? *Sensus Calvinisticus h. l. est talis:* Quos DEUS absolute decrevit certò salvatum iri, illos per Christum consequenter post factum decretum esse redemptos, Electos verò fuisse uno eodemq; actu cum eo, ut essent in eo velut membra in capite, h. m. ut Christus est primogenitus inter fratres, ita & primus electus inter Dei filios. Et

Et ita committunt (1) oppositorum Elenchum, cum Electio & redemptio sibi invicem non sint opponenda. (2) Christi satisfactionem pro genere humano, & cæteras officii partes ad *ἀποστολῶν* spectantes, atq; ita ratione decreti Electionem antecedentes per *ὑστερον ἀποστολῶν* ipsi Electioni postponunt. Imò & (3) in hoc decipiunt, quando Salvatorem ab Electione ad eò exciudunt, ut post decretum absolutum redemptioni ministrum præfiant: adde & hoc, quod pessimè confundant prædestinationem filii ad redemptionem, & Electionem credentium ad vitam æternam. Verùm ut ordine progrediamur, què antè posuimus

Dicimus I. Contra Supralapsarios: DEUS in eligendo & reprobando hominem non intuitus est ut non lapsus, vel non conditum, sed ut lapsus & conditum.

Argum. (1) Actio misericordiæ terminatur in objecto miserabili; hinc & *Beza in Colloq. Mompelg. Nec misericordiæ, aut, locus est, nec ea declarari potest, ubi non est miseria.* Electio est opus misericordiæ, Ephes: 1, v. 5. 6. 7. 8. 9. 2. Tim: 1, v. 9. & 10. Hinc & Electi dicuntur vasa misericordiæ Rom: 9, v. 23. Ergo objectum est ejusmodi, quod in Intentione seu Notione fuit miserum.

Argum. (2) Prædestinatio est pars Evangelii, Objectum verò Evangelii materiale sunt pauperes Spiritu, qui indigent gratiæ in Evangelio exhibitæ. E.

Argum. (3) Actus Justitiæ vindicat transgressorem Justitiæ, aliàs non esset Justitia sed Injustitia, Reprobatio est Actus Justitiæ. Ergo &c; & hæc est ratio quare reprobi dicantur vasa iræ, sc: 1. *Effective* ex parte sui, quia in iram incurrunt, & 2. *consequenter*, quia iram justitiæ DEI, judicialiter illis exhibet.

Excip. Distinguendo inter actum reprobationis negativum & damnationem seu actum reprobationis positivum, quam distinctionem etiam Dordraceni reservant mutuo sumptam à Scholasticis. Major ergo est vera de actu positivo non negativo, in quo damnatio & Electio sistem fit secundum propositum vel miserendi vel prætereundi, & ibidem tantum est patris & *doxia*; verùm in Executione damnat impios ob eorundem peccata.

Resp. (1) Qui prædestinat hominem ad æternam damnationem

nem actu negativo, sive homo peccet sive non, id est, sine observatione peccati committendi, is Justus in prædestinatione est injustissimus.

Resp. (2) Contrariantur huic distinctioni alii Calviniani: *Petrus Molinaus in Anatomia Arminianismi: Perinde est, sive DEUS hominem destinet ad damnationem sive faciat id ex quo damnatio sequitur.* Juxta hujus sententiam sequitur, distinctionem esse nullam 1. quia coincidunt, 2. quod sequeretur, DEUM inferre necessitatem peccandi ex suo decreto, quod admodum est blasphemum.

Argum. (4) Quò quis magis naturam propensus est ad benefaciendum aliis, eò magis abhorret ab inferendo malo, præsertim nondum lapsò & peccanti.

Objicitur (a) *Quicumq; factus est ad diem malum, is creando destinatus est ad damnationem. Sed impius factus est &c: Proverb. 16. v. 4. Ergo.*

Resp. (1) Diem malum statim inferre damnationem, argueret Jacobum Gen. 47. v. 9. dum in vivis superstes erat, fuisse damnatum; agnoscit enim & ille dies suos malos.

Resp. (2) Factus ad diem malum non statim est creatus ad æternam damnationem; sic enim & Christus, & cum Christo fideles conqueri sæpius necesse habent, se factos ad *7^o malorum*, seu dies malos, Psal. 38. v. 18 & Christus dicitur vir dolorum, Esa: cap. 53. quos si tu damnares propterea, iniquissimus Judex esses in tuum Salvatorem & illius membra. Sic & impius ob antegressa delicta quorum luit pœnas, facile dixerit, se factum ad diem malum, qui tamen obinde non statim æterno exitio est adjudicatus.

Resp. (3) Textus, si conferantur antecedentia, loquitur de providentiâ divinâ: DEUS n. omnia *— 7^o malorum* seu operatur propter sese, omnia dirigit ad suam gloriam; etiam impium ad diem malum, quem ut pœnam suis delictis meritum luit: & ita etiam hanc pœnam DEUS operatur, ut suæ satisfaciât justitiæ.

Objicitur (b) *Pharao Exod: 9. v. 16. Rom: 9. v. 17. dicitur excitatus à DEO ad pœnam, Excœcationem &c. Ergò quemcunq; DEUS excitavit ad hoc, ut sit excœcatus, ille salvâ voluntate divinâ ad hoc est produ-*

C

productus ut non possit non esse excæcatus, & sic ex parte DEI necessario est excæcatus, & consequenter ad damnationem creatus.

Resp. (1) Est excitatus non ad peccandum & ad resistendum, sed *eis à tò τῆν*, in hoc ipsum scil: ut iustitiam meam in te exerceam, non voluntate antecedente sed consequente, & quidem non effectivè sed decretorie & judicialiter. In voluntate enim hâc consequente DEUS agit & personam Patris & Judicis simul, patris erga fideles, judicis erga immorigeros; hinc in Pharaonem egit personam judicis, ut in eo toti mundo appareat severitas Justitiæ divinæ tanquàm in aliquo speculo.

Resp. (2) Est excitatus non absolutè; supponimus enim ante excitationem à parte Pharaonis Invincibilem, durabilem resistantiam; à parte verò DEI longanimitatem tolerantiam.

Objicitur (c) Quemadmodum figulus quædam vasa operatione efficiaci præparat ad ignominiam, quædam ad gloriam ex absoluta non hypothesi à signi voluntate, ita & DEUS &c. Rom: 9. v. 21. hinc & Impis, vers. 22. dicuntur vasa facta ad damnationem.

Resp. 1. Non h. l. dicitur, DEUM creasse hominem ad ignominiam, aut *κατασκευ* sive coagmentare ad interitum, sed *κατασκευ* seu aptata à Diabolo ad interitum, & semetipsis seu propria malitia, summâ animi lenitate tolerare. Ergo potius per contrariam colligo: Quoscunq; reprobos DEUS tulit & quidem magna animi lenitate, illos non improbos constituit, aliàs cum voluntate DEI essent Improbi & non cum longanimitate.

Resp. 2. Similitudo illa non intendit creationem Improborum, sed Improbij jam creati desertionem; respicit enim Paulus ad locum Jerem: cap. 18. v. 6. cujus loci sensus hic est: Sicut figulus potest efficere alia vasa adhibenda mensis Regum, alia pauperum, Ita & Ego DEUS vos Judæos qui antea eratis sat splendidi præ omni populo, postmodum ignobiliori loco collocare possum, & quidem per captivitatem, tanquàm justissimam à vobis ipsis vestrà malitiâ attractam pœnam. Ita & hoc loco Judæi sat erant per Ecclesiam celebres, verum is qui eosdem fecit celebres, & quàm facillimè eos propria malitiâ ad interitum agmentatos ex justo judicio convertere potest in vasa iræ.

Resp

Resp. 3. Ipse Calvinista Johannes Cameron in suo Myrothecio Evangelico, vocabulum *κατηγόρησιν* non transfert in DEUM sed homines. Vocabulum *προβλεψάντων* inquit, adhibet, ut designet, bñc DEUM esse efficacem, ast ubi de illis agit, quos non vocat, non dicit, *κατηγόρησιν ὁ Θεός*, sed *κατηγόρησιν ἡμῶν ἀπείρα*, juxta illud: Perditio Israel tua ex te.

Objicitur (d) Rom: 9. v. 9. *Nondum natus pueris, cum nondum fe-*
issent aliquid boni & mali. &c.

Resp. N. S. Jacob habet prærogativam Nacionalem præ Esavo, ex merâ Dei misericordiâ, Ergò maxima pars hominum absolutè, quia DEO ita libuit, ad exitium æternum est destinata.

Dicimus II. Contra Infralapsarios. Electio facta est anteceden-

ter intuitu meriti Christi. Calviniani non excludunt respectum inter Electionem & meritum Christi, sed in hoc ipso articulo Meritum Christi quàm creberrimè crepant, verùm non alio sensu, quàm per modum mediæ Executionis, ut supra dictum, non verò causalitatis; huc enim facit tritum Calvinisticum: *Electioem omnes cause tùm IN NOBIS, tùm EXTRA NOS antegrediuntur.* Nos positum nostrum probamus.

Argum: I. Quicumq; est Electus in Christo Jesu, ita ut sit per ipsum electus, ille non est electus in Christo consequenter sed antecederet, aliud enim est esse electum *ἐκ Χριστοῦ*, aliud *ἐκ* vel *διὰ* *Χριστοῦ*. Electos verò esse Electos *ἐκ Χριστοῦ* probatur Eph: 1. v. 4. 5. E.

Excip: Loquitur Paulus de medio Electionis seu subjecto in quo, si-
ve per quod; quod medium est Christus, qui primum est electus per mo-
dum capitis, mediante capite verò electa sunt quosq; membra.

Resp. (1) Textus non agit de capitis electione sed præcisè de electione membrorum.

Resp. (2) Uti *ἐκ Χριστοῦ ὁ Θεός ἡμῶν & λόγισεν* omni spirituali benedictione, ita & nos in Christo elegit. Militat pro propositione particula *καθὼς*, quæ Christum in utroq; membro non saltem determinat in veritate rei, sed etiam in veritate modi. Ast Deus nobis omni benedictione benedixit in Christo, non modò ut subjecto seu medic, cui ut capiti benedictio competit primariò, & illo mediante

nobis ut membris secundariò, sed benedixit nobis in & per Christum, ut omnis benedictionis causam meritoriam. E. Elegit nos per Christum, ut omnis electionis meritoriam causam.

Argum. II. Per & propter Christi meritum justificamur. E. per & propter illud quoque eligimur, quia per illud quo justificamur & salvamur. Medium E. Salvationis est etiam medium electionis. Vide catenam hanc Rom: 8. v. 30.

Argum. III. Aut iratus aut placatus DEUS nos elegit, non iratus, quia favor beneplaciti & odium simul stare nequeunt. E. Placatus. Si placatus. E. Id quod eligentem placavit, electionem, ut causa DEUM placans, antegreditur. Ceterò autem præter meritum Christi aliud placandi medium.

Argum. IV. Ego vos elegi & constitui, &c. Joh: 15. v. 15.

Christum hoc loco cum discipulis non agere de electione ad Apostolatam, sed ad communem gratiam, & consequ. ad vitam æternam, innuunt vers. 10, 8, & 11. qui loquuntur de mansionem in vite spirituali, in quâ fideles DEO suos ferunt fructus. Deinde verba allata sunt intelligenda de ea electione, quâ Apostolos elegit de mundo, quæ soli electioni ad Apostolatam minimè competit.

Obijciunt I. Meritum Christi non potest esse causa decreti electionis, nam causa est simul cum causato, hoc verò in tempore, illud ab æterno.

Resp. 1. Distinguo inter meritum Christi ratione causalitatis, & ratione existentia, causa est simul cum suo causato in modo causandi, non tamen in modo existendi. Sic finis causat sine existentia.

Resp. 2. Sumus electi in Christo *περὶ χάριτος ἰσομετρίας* Ephes: 1. v. 4. Ergò Christi & incarnatio & meritum totum fuit ab æterno præcognitum; imò non tantum præcognitum, sed & suo vigore ratum & validissimum. Hinc & Christus dicitur semet obtulisse Patri, *διὰ πένθητος αἰώνια*, Hebr: 9. v. 14.

Obijciunt II. Electus non est electionis causa, Christus est electus, 1. Petri: 1. v. 20. E.

Resp. 1. Falsissima Major, sic Christus seu filius Dei est electus, & etiam eo respectu quo electus est causa suæ electionis, quia ab æterno se ut media persona sponte destinavit in mediatorem humani generis. *Nec obstat*: quod eligere & eligi videantur inferre personalem distinctionem.

functionem, quâ alius eligens, alius electus, sic enim idem & de voce sanctificare esset asserendum, ubi tamen idem sanctificans etiam sanctificatus, Johan: 17. v. 19.

Resp. 2. Committitur fallacia oppositionis, alia enim est electio fidelium ad vitam, quæ hujus loci propria, alia electio Christi ad mortem, seu officium mediatorium, *vid. thes. 3.*

Resp. 3. In Græco non exstat *ωσως, ομως, sed ωσως, ομως.*

Objicitur III. Quicumq; antequam donarentur Christo, fuerunt patris, illi per Christum non sunt electi. Atqui Electi antequam &c. E. Minor fundatur Joh: 6. v. 37. & 44. cap. 17. v. 9.

Resp. Fuerunt Patris in articulo primo ratione creationis, facti autem sunt filii in articulo secundo, quatenus verâ fide Christo sunt inserti, & hâc ratione in articulo secundo, non primo facta est electio. Posito ergo quod propositio argumenti aliquid concluderet, plus tamen non inferret quàm: Quicumq; antequam donarentur Christo, fuerunt Patris, illi non sunt electi eo modo quò fuerunt Patris, sed illo, quò donati sunt filio, ut ille eosdem saluaret, sicq; per reversionem: *Quicumq; modo electi sunt donati filio, eo modo etiam in filio sunt electi, sed in articulo secundo per modum meriti filio sunt donati, E. in articulo secundo per modum meriti etiam in filio sunt electi.* Deinde non dicitur, quod prius fuerint patris quàm filii, ut ut dati filio à patre. Filius ut unus cum Patre Deus omnia habet quæ Pater.

Objicitur IV. Nullus effectus est præstantior sua causa, Electio est præstantior merito Christi. E. Electio non est effectus meriti & meritum causa electionis. Resp. Neg. Minor.

Dicimus III. Electio & Reprobatio facta est intuitu fidei & incredulitatis.

Argum. I. Quos DEUS elegit in Christo, eos elegit ut credentes; in Christo enim nemo esse potest, nisi credat in Christum. Sed omnes quos DEUS elegit, eos elegit &c. E. Minor extat Ephes. cap. 1. v. 4.

Excip: (I) Notatur tantum in isto dicto medium executionis.

Resp. 1. Loquitur Paulus de electione ante constitutionem mundi facta, & in textu benedictio, quæ fit in tempore, ut electionis executio, ipsi electioni ab æterno facta, contradistinguitur.

Resp. 2. Comparat Paulus executionem cum decreto electionis, uti particula illa comparativa ostendit. Inde colligimus: Uti DEUS nobis benedixit in Christo, ita & elegit in Christo; sed benedixit nobis in Christo, id est, propter Christum, quatenus fide in Christo sumus existentes. E. & sic nos in Christo elegit.

Excip. (II) Verba Pauli ita esse construenda: Elegit nos, ut essemus sancti in ipso ante iacta mundi fundamenta.

Resp. 1. Vocabulum ἡμᾶς, bis est positum, & utrobiq; cum peculiari verbo est connexum, hoc modo, Elegit nos in Christo, εἰς ἡμᾶς, &c.

Resp. 2. Εξελέξατο sibi connexum habere vocabulum ἐν αὐτῷ indicat ipsa commatis positio & distinctio.

Arg. II. Qualibus DEUS in tempore vult salutem, talibus & non aliis ab æterno voluit & destinavit salutem, quia voluntas Dei est immutabilis. Atqui credentibus in Christum quæ talibus Deus in tempore vult salutem. E.

Arg. III. Propter quod homo iudicatus est ab æterno, propter idem etiam reprobatus est, reprobatio enim & damnatio non differunt. Sed propter incredulitatem &c. Joh. 3. v. 18. E.

Arg. IV. Propter quod DEUS in tempore damnat, propter idem ab æterno damnare decrevit, sed propter incredulitatem &c. E.

Obijcitur (1) Quem DEUS vult, indurat. E. quicquid sit ex nuda Dei voluntate, id non fit ex necessitate pœnæ.

Resp. Quem DEUS vult indurat, voluntate non antecedente, sed consequente, quæ voluntas cum sit voluntas, E. etiam valet: quem DEUS vult, indurat, cum non invitus pœnam indurationis erogat, sed cum voluntate & dilectione ad suam iustitiam essentialem. Inde autem minime sequitur, quod induret ex absoluto decreto, cum voluntas consequens indurationem inferat, non ut malum culpæ, sic enim DEUS peccati esset autor, sed ut malum pœnæ.

Obijcitur (2) Rom. 9. v. 15. Exod. 23. v. 19. Inde Argumentum: Quod non propendet ex hominis vel desiderio vel non desiderio, studio pietatis vel impietatis, sed ex nuda Dei voluntate, id non fit hypothetice, sed absolute. Electio hominis non propendet &c. E.

Si ergo tantum ex mera Dei voluntate propendet, cui velit, & cui

cui non velit gratiam exhibere, adeò etiam, ut si quis maximo studio illam sibi exoptaret, non tamen istius particeps fieri queat, electio & reprobatio non erit penes hominem vel credentem vel non credentem.

Resp. 1. Dicitum illud loquitur de *Φιλαρωπία* Dei indebita, quã ex sola misericordia ad Ecclesiam eligit hunc, urpote nationem Jacobæam, non Esaviticam, idq; non ex operibus bonis, quibus Jacobus præ Esavo erat conspicuus, sed ex solâ misericordiã.

Resp. 2. Si maximè concedendum (vñ non est) dicitum hoc loqui de electione ad vitam æternam, plus tamen non infertur, quàm quod ex sola gratia, non verò ex operibus bonis, quibus instructi sunt electi, fiat electio. Inde verò ulterius non concluditur. E. electio fit sine respectu vel ad lapsum, vel ad fidem, sive: DEUS non respicit in reprobatione ad mala, v. g. in justificatione DEUS non respicit ad bona opera, ergò nec respicit ad mala? DEUS enim impium non justificat ut impium, sed conversum.

Asi reponis: Fides etiam est bonum opus. E. Nec electio fit in respectu ad fidem.

Resp. Fides ut in justificatione sic & electione non consideratur, ut opus in electis, DEUM inducens ad electionem, sed ut donum dandum prædestinatis, ut ipsis esset instrumentum, quò beneficia ex prædestinatione promanantia sibi applicare possint.

Obijcitur (3) Voluntas Dei hominem damnat. E. Non peccatum.

Resp. Voluntas Dei hominem damnat per rationem judicis, non absolute.

Obijcitur (4) Fides non potest esse causa electionis; sequeretur enim, electionem factam esse secundum qualitatem in nobis.

Resp. 1. Fides in justificatione est quidem causa instrumentalis, asi in decreto electionis propriè instrumentalem non agnoscimus.

Resp. 2. Fides in decreto electionis consideratur non seorsim sed complexè, ut apprehendens meritum, & ita terminat electionem, non ratione sui, sed ratione meriti apprehensi, quod aliàs erat sine applicatione. *Vide th. 19.*

Obijcitur (5) Electio cum respectu ad fidem & meritum Christi tollit libertatem in Deo; posito enim merito Christi, ejusdemq; applicatione fiduciali, DEUS non potuit non eligere.

Resp.

Resp. Confunditur decretum constituendum cum constituto, Antegreditur libera determinatio decernentis & eligentis, & quidem libera, tum quoad indifferentiam contradictionis, tum quoad indifferentiam contrarietatis. Quoad indifferentiam contradictionis DEUS in decernendo ad utrumq; indifferentem se habere potuit:

VOLO Homines salvari & ad agnitionem veritatis venire.

NON VOLO Homines salvari & ad agnitionem veritatis venire.

Verum hinc DEUS liberrimè agens posterius deseruit, prius assumptum hoc modo: OMNES omninò homines salvos fieri volo & ad agnitionem veritatis pervenire, 1 Tim: 2. v. 4. Sic etiam quoad indifferentiam contrarietatis potuit arripere ad salvandum homines hoc medium, vel hoc medio relicto aliud pro lubitu assumere, v. g. Potuit prædicationem verbi ut medium salvandi statuere, & hoc misso insuper aliud eligere; potuit velle, quosdam saltèm salvari, potuit etiam omnes salvari velle. Stat itaq; totum hoc decretum ut constituendum cum summa arbitrii oivini libertate, dum liberè filium in redemptorem generis humani constituit, liberè hæc & non alia media ad salutem ordinavit, liberè omnes & non quosdam voluit salvari. Quod autem decretum jam constitutum attinet, dicimus: Posito semel pro arbitrii sui indifferentiâ hoc decreto, & non alio, & quidem decreto ad certas hypotheses astricto, si ab hypothesibus deinde in executione decreti declinaret, tunc argueret illud DEUM mutabilitatis. Nec extraordinarius modus conversionis, ut Pauli & aliorum, qui liberrimæ potestatis divinæ est, fidem & meritum Christi excludit.

Objicitur (6) Actor: 13. v. 48. Crediderunt, quotquot ad vitam æternam erant ordinati. Ergò ab Electione fides pender, non autem fides est Electionis causa.

R. sp. I. Retineamus in citato dicto simplex subjectum, & prædicatum, Illud est: Quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Hæc verò: Crediderunt, id est, Qui erant ordinati ad vitam, illi crediderunt, quid verò inde? Sane præter hoc positum nihil, nimirum:

Ordinati

Ordinati ad vitam æternam crediderunt. Ast quis inficias ibit, Electos ad vitam æternam, credere? Certè nemo Orthodoxorum. Inde autem nondùm evictum, causam quod crediderint, esse decretum alicujus absolutæ Electionis, quomodo hoc ex dicto?

Resp. 2. Adversarii gladium, quo ipsi confodiantur, orthodoxis suppeditant: Quicumq; dicuntur *πελεγμένοι* ad vitam æternam, illi sunt tales, non absolutè & omni ordine excluso, sed ad certam *πέζιν* certumq; ordinem ordinati & electi, id quod unicuiq; satis perspicuum, qui modò terminum apprehendit; dicere verò *πελεγμένους* absq; ordine, est dicere *σδιερέζουλον*. Directè igitur hoc contra Calvinianos militat.

Resp. 3. Quod hi ad vitam ordinati non crediderint ex absoluto DEI decreto, quo non potuissent non credere, ex textu apparet, cum idem verbum fidei & reprobis in conversionem à Paulo fuerit propositum; hinc exprobrat Judæis vers. 40. quod verbum vitæ, ipsis à Paulo & Barnaba in fidem annunciatum, adeò malitiosè repellent, & pœnam illis justam, quam eo ipso sibi met attraherent, denunciat vers. 40. & 41. Pone jam, illud verbum ad Electos saltè, non verò simul ad Reprobos spectâsse, idq; ex absoluto DEI decreto, Paulus & mendacium reprobis persuadere tentâsse, & reprobi, verbis Paulinis, tenerentur mendacio fidem dare. Verùm quid multum? Id quod piis auribus blasphemum, Calvinianos non pudet in publicum effutire & defendere. Videantur verba in Colloq: Hagenfi: *Reprobis si credat, Christum pro se mortuum, mendacio credit.*

Objicitur (7) Eph: I. v. II. DEUS fecit omnia juxta consilium voluntatis suæ.

Resp: Facilius aq; quam ad tuum postulatam è pumice obtinebis, quàm aliq; quod absolutum Electionis & reprobationis decretum ex hoc dicto, nam (1) Quis docuit adversarios Consilium voluntatis h. l. esse consilium voluntatis ABSOLUTÆ. Perspiciant integrum caput, & semper habebunt in ista voluntate & proposito circa salutem nostram regressum ad Christum, v. g. vers. 5. *καὶ πλὴν ἑδοκίμασεν ἡ θελήσει τοῦ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν.* Ast quomodo? Cum respectu ad Christum: *διὰ ἡσῶ Χριστοῦ.* Cui, quicquid in & post electionem
D benefici-

beneficii obtinemus, uni acceptum refert Paulus v. 6. 7. 8. Sic My-
sterium suæ voluntatis norum nobis fecit; ast quæ illa voluntas? num
absoluta? neutiquam, sed cum respectu ad Christum, v. 10. ut omnia
in coelis & terris, id est, Deum Angelos & homines, *en nâ Xp̄st̄*
in & per hunc Christum hominem Mediatorem recolligeret in u-
num caput seu cœtum, hoc est, quæm oprimè uniret & reconciliaret.
Adde (2) Ephes: c. 3. v. 9. 10. 11. ubi D E U S hanc æternam *debetur*
dicitur *in nâ Xp̄st̄ 1758.*

Antequam cortinam claudo, notandum adhuc velim, Calvi-
nianos absolutam Electionem à se docerialias mirè audacter inficias
ire, cum velint videri, se & nobiscum decretum Electionis defende-
re hypotheticè. Audiamus ex illorum numero *Ludovic: Crocium*
Theolog: Bremensem jam denatum, in Libris de persever: sanctorum pag.
105. Libera Dei voluntate fit, quod peccata aliis in Christo remittantur,
ut serventur, Aliis autem imputentur, ut damnentur. Si quis verò hoc
decretum dicat absolutum, quod DEUS non respexerit in eo genus huma-
num, ut perditum per lapsum, aut quasi ei non sint subordinata aut A N-
NEX A media, per qua convenienter salvâ DEI Justitiâ, ad E X E C U-
TIONEM DEVENIATUR, is perperam hoc accipit. Hactenus
Crocium. Cui Prædestinarij Dordrechtani astipulantur: Verùm fucum
Adversarii aliis vendunt; Nam non est quæstio, An absolutæ Electio-
nis decreto jam peracto, deinde meritum Christi, & fidem, aliâq; do-
na, ut effecta, sive (ut Crocius loquitur) annexa, per quæ decretum
illud in tempore perficiatur, ordinârît; Sed quæstio est: Utrum ex
mera gratiâ NOS ELECTURLIS, in ipso Electionis actu, ad meritum
Christi & fidem respexerit, ut causas, ita ut istis absentibus, decretum non
fuisse factum. Nos affirmativam, illi tuentur Negativam. Deinde,
nec illud Calvinisticum decretum sub tali formâ conceptum, dici po-
terit decretum cum hypothesi, nullum quippe decretum divinum
& consilium absolutum, propriè Hypotheticum dici meretur, re-
spectu effectorum, nisi in ipsa deliberatione & decreto ad talia, ut ad
causas sit factus respectus. Ostendant, vel Crocius, vel Dordrechtani,
non in Theologicis tantùm, DEI, sed etiam in politicis, ullius Magi-
stratûs decretum, contrarium exemplum, si poterint, dent, inquam,
non nuda nomina seu Impropiè dicta cum hypothesi decreta, sed

pro-

proprie, id est, ejusmodi, quibus rei natura exprimitur: Verum media exequendi decreti sunt decreti effecta, post factum ratificatum demum decretum, ordinata.

Sed nunc Controversiam hanc sat prolixam claudio.

CONTROVERSIA II.

Qv. Num Gratia DEI circa promovendam hominum salutem sit universalis?

Missis variis vocabuli gratiæ significatis, gratiam hoc loco dicimus *Φιλαυθωπία* Dei, quæ gratiosâ & benevolâ voluntate omnium hominum salutem experit. Ut autem hoc in quæsito verum quæstionis cardinem tangamus, præscindimus.

I. *Non esse quæstionem* de quovis respectu voluntatis DEI: Datur enim in Deo respectus, secundum quem non vult nisi credentium actu salutem, estq; voluntas Dei dicta consequens, quæ impleta illâ hypothese, sub qua salutem hominibus promisit, illis saltè in quibus hanc hypothesein vidit, impletam, vitam æternam applicat. *Sed quæstio est* de voluntate antecedente, quatenus adhuc æterna salus hominibus certis mediis est applicanda. Nec

II. *Quæstio non est* de universalitate prout syncategorematicum OMNIS incompletè distribuit, qualis distributio est quæ fit in genera singulorum, sed prout distribuit complexè, & subsumit singula generum, nimirum & hoc & illud & istud, nec ullo singulari excluso. Nec

III. *Quæstio non est* de voluntate Dei quæ omnia media excludendo homines simplici affectu vult salvos. *Sed Quæstio est*: Utrum DEUS voluntate antecedente serio per media ad salutem destinata, quodcumq; individuum sub genere hominis velit salvum? Nos affirmamus, Calviniani id negant. *Piscator vol. 1. loc. 20. th. 21. impia est eorum, inquit, sententia, qui affirmant Deum omnes & singulos velle salvos fieri.* Sed si hæc nostra sententia impia, non magis adversariorum blasphema. *Georgius Spindler im sehr nöthigen Bericht pag 373. Gott hat von Ewigkeit beschlossen, daß ER etliche schaffen wolte, durch welcher billige Verdammnis, von wegen der Sünde, die Ehre seiner Gerechtigkeit geoffenbahret würde.* Et ne quis putet, quæstionis negativam esse sal-

tem quorundam Calvinisticae Ecclesiae Doctorum, & Dordrechtiani in sua Synodo unanimi calculo illam defendunt, *vid. Judic. provincial. Theol. pag. 43. 79. 140. ut & ibidem hinc & inde*, in quo iudicio universalem DEI dilectionem vocitant humani cerebelli figmentum. Sed durissimis hisce lippis & tonsoribus notis verbis modum sistimus.

Bremenses, Salmurienses, & alii, ut veterum emolliant fellea dicta, rei ita inserviunt, ut, si scripta eorum in limine factem salutes, nostrae Eccl. Doctorum scriptis orthodoxis in omnibus esse *ὁμοψύχως* juramento confirmes, ni postmodum anguis lateret sub herba. Sed de illis postea. *Nostrum assertum ut certis statuminemus fulcris, apponamus argumenta.*

Arg: I. Rom: 11. v. 32. Quoscunq; DEUS conclusit sub peccato, illorum etiam misertus est. Omnes & singulos DEUS conclusit sub peccato. E. Majoris connexio est in partic. expressa causali *ὅτι*: Ideo & Judaeos & gentes v. 30. 31. conclusit sub peccato, ut & Gentium & Judaeorum, id est, omnium illorum quos sub peccato conclusit misereretur. Minor: Aut genera singulorum, aut singula generum DEUS sub peccato conclusit, si prius. E. falsa effatum Paulinum Rom: 3. v. 23. Ast non hoc. E. posterius est verum.

Excip: Omnes, scil. singulorum genera. Resp. Non genera singulorum, sed singula generum conclusit sub peccato. E. nec singulorum genera sed generum singula Deus amore paterno complexus est.

Argum: II. 1. Tim: 2. v. 4. DEUS vult omnes homines salvos fieri, &c.

Excip. (1) DEUS vult omnes, id est, non singulos generum sed genera singulorum: hoc modo, Deus vult quosvis.

Resp. 1. Regula bonae interpretationis est: Homonymum stat pro significatione famosiori, nisi praegnans sub sit causa, quare ab ea deflectendum. Esto: quod alicubi vocula OMNIS ita sumatur, non tamen sequitur, ergo & hoc loco, adde quod causa nulla haecenus data sit de speciali hujus vocabuli in hoc loco acceptione.

Resp. 2. Nulla connexio: Orate pro omnibus Regibus & quovis Magistratu, quia quidam ex illis debent salvari, nam pro reliquis non salvandis aut Christianis orandum fuit cum Dei voluntate,

aut

aut contra: non hoc, sic enim Deus sibi contradictoria injungeret fidelibus. E. Prius.

Dices: Datur medium. Resp. Permissio aut fit DEO approbante, aut improbante; si improbante, E. Permissivè aliquid mandatorie injungit, quod planè improbat, Ast quid hoc? utiq; maximum Calvinisticum absurdum. Quia verò non hoc E. prius. Quicquid autem fit DEO approbante fit etiam Deo volente & consentiente.

Resp. 3. Sub quibus quietam & tranquillam vitam degamus cum honestate, pro illis orandum est.

At qui non sub generibus singulorum sed sub singulis generum, principibus &c. Ergò. Et consequenter pro quibus precemur, illos vult salvos.

Resp. 4. Si tantum pro Electis orandum, nullæ preces possent institui pro hoc & illo individuo, qui enim quis certò sciret, hunc vel illum esse Electum.

Resp. 5. Disertè Paulus mentionem facit Regum & omnium qui in sublimitate sunt constituti, ut tùm erat Nero reprobus, tenens rerum summam: aut ergò quando hæc scripsit orandum erat pro Nerone, aut pro nullo Rege in sublimitate posito, aut pro Ideâ aliqva regia, mente formata; tam ultimum quam penultimum est falsum, Ergò firmo stat talo prius, quod & pro Nerone ejusq; salute tùm temporis orandum fuerit.

Resp. 6. Quousq; sese extendit libido mentiendi in hominibus, eousq; & voluntas DEI, ut homines ad veritatem redeant, sed ad omnes homines maximè reprobos extendit &c. Ergò.

Excip. (2) Orandum fuit pro ordine. Resp. Non pro ordine, sed pro illis qui sunt *οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ*.

Excip. (3) DEUS vult, prout scil. Christiani & regenti omnium hominum salutem exoptant, dum pro omnibus orant, id est, voluntate affectiva.

Resp. (1) Si Deus nos facit velle, Ergò idem ipse vult; nam id velle, aut est ex nostrâ infirmitate, aut à Spiritu S. nostram infirmitatem vincente etiq; subveniente; non prius, sic enim non tempestivè diceretur: DEUS vult &c. Ergò à Spir: S. qui DEUS est, vid. Rom: 8.

v. 26. Resp: (2) Est contra connexum qui talis: Orate pro omnibus.

bus, quia Deus omnes vult salvos, nullus autem hic est: Orate pro omnibus, quia Deus vos facit velle.

Excip: (4) Si pro omnibus orandum, Ergò, & mortuis, est non hoc, Ergò & nec prius.

Resp. 1. Pro hominibus est orandum, Ergone & mortui sunt homines, nisi in Ampliatione saltè? 2. Pro iis h. l. est orandum, qui possunt salvari. 3. Sub quibus pacatam transigere possumus, vitam.

Excip: (5) Vult, id est, Approbativè, h. m. Salus secundùm se considerata est aliquid volibile & gratum, verùm cum id fieri nequeat exposito decreto, non est volibile actualiter.

Resp. (1) DEUS ita homines vult salvos ut pro eorundem salute preces ad DEUM effundantur calidæ.

Resp. (2). DEUS ita homines vult salvos, ut iisdem Mediatorem, Jesum Christum, constituerit.

Excip: (6) DEUS vult omnes homines salvos sc. omnes illos quos vult salvos, h. m. nullus salvatur, nisi per voluntatem ejus, v. g. Preceptor in unâ schola docet omnes civitatis pueros, quia nullus docetur nisi ab eo.

Resp. Expositio hæc est contra textum Pauli, Nulla enim connexio: Orate pro omnibus, ratio: quia Quicumq; salvantur, omnes illos DEUS vult salvos fieri. Sed ita ordinantur verba: Orate pro omnium salute, quare? quia DEUS omnes vult salvatos.

Excip: (7) Pro peccantibus ad mortem non est orandum, Ergò non pro omnibus.

Resp. 1. Scriptura dum hunc vel illum excipit, non statim tollit universalitatem, v. g. Christus homo non peccavit, Ergo non omnes homines peccaverunt in Adamo? Ideoq; ita concludendum, Pro omnibus & singulis est orandum, usque dum clarè nobis constet peccatum ad mortem.

Resp. 2. 1. Joh: 5. v. 16. Non prohibetur oratio pro tali homine, sed libertati nostræ committitur.

Excip: (8) Vult, id est, secundùm Velleitatem non voluntatem, id est, desiderii & pietatis, non actûs.

Resp. Operare aliquid, nec tamen actualiter velle, propterea quod id quod vult superet suas vires, humanæ est imbecillitatis, juxta illud: Stultè sapis, te velle &c. Ecip.

Excip: (9) Distinguendum inter voluntatem signi & beneplaciti.

Resp. 1. Voluntas signi utpote in respectu revelationis, & beneplaciti, non sunt voluntates oppositæ: aliud enim ore proferre, aliud corde premere importat mendacium.

Resp. 2. DEUS ita vult omnes homines salvos, ut pro iisdem orare ipsi sit gratum & acceptum.

Resp. 3. QVALIS DEUS, talis voluntas de omnium hominum salute; sed DEUS est unus, vers. seq. Ergo & ejusdem voluntas & c.

Argum. III. 2. Petr. 3. v. 9. Non volens quemquam perire & c.

Excip: Dicitur loquitur de Electis; alloquitur enim credentes: hinc in eodem versu: Est benignus in NOS.

Resp. 1. Non saltē loquitur de credentibus, sed & de Improbis, quorum verba citat, & in eorum refutationem, dum extremum Judicium propter tarditatem & nimiam moram pernegant, hæc ipsa pronunciat. 2. Petrus in vocula NOS ne utique sibi promissit Ecclesiam Anabaptisticam. 3. *Μαροθυμία* quæ expectat resipiscenciam hominum, objectum sibi vendicat non Electos præcisè, sed Infideles & Impœnitentes, quæ tales.

Argum: IV. Is qui lapsus est lapso Adamo, illum & gratiâ promissionis de Messia datæ DEUS complexus est. Is qui est lapsus lapso Adamo sunt omnes & singuli posterii in lumbis Adami. E.

Major: Protoplasti post lapsum in actuali illa à DEO data promissione coram DEO steterunt, aut ut soli Electi, aut ut soli reprobis, aut ut ex parte Electi, & ex parte reprobis, sed nullum horum h. l. cum fundamento stabit. Stabant enim sub ratione mundi, quem DEUS adedò impensè dilexit, ut semine illo in tempore mittendo, utpote filio suo ipsi succurrere voluerit, juxta illud Joh: 3. v. 16.

Objic. Si DEUS omnes voluntate antecedente vellet salvos, quos tamen omnes ex voluntate consequente nollet salvos, darentur in DEO voluntates contradictoriæ.

Resp. (1) *In genere.* Distinctio inter volunt. anteced. & consequ. non est talis r. ex parte DEI, sed est ex parte objecti, prout illud voluntati hypotheticæ DEI, vel responder, vel non responder. 2. Nec est vel antecedens vel consequens ratione temporis, sed ratione ordinis, modo apprehendendi. Nec 3. pugna, sed amicissima harmonia,

monia: consequens enim est antecedens & antecedens consequens, prout objectum in voluntate consequente continetur sub objecto voluntatis antecedentis. *Antecedens* respicit homines ut homines eosq; in statu peccati miseros; *Consequens* respicit etiam eosdem sed modificatos, quatenus sunt, vel fideles, vel infideles, & ita hæc consequens continetur sub antecedente, siquidem qui vult omnes salvos fieri sub respectu fidei, ille vult credentes salvos, non credentes verò non salvos, v. g. sit amore complectens omnes filios parens, is omnes suos filios vult suorum bonorum hæredes, hypotheticè, sub ratione nimirum obedientiæ; hic utiq; vult omnes filios bonorum hæredes, & nihil minus tamen quosdam saltèm, prout sc: hypotheseos impletio sit in hisce morigeris, non verò Immorigeris.

Resp. 2. *In specie.* Quicumq; vult omnes salvos voluntate antecedente (seu juxta antecedens) quosdam tamen vult salvos voluntate consequente, (seu secundùm consequens voluntatis unius) in illo contradictoriæ dantur voluntates, scil: si voluntas & antecedens & consequens est absoluta, nullà hypothesi limitata & restricta; alii id h. l. de DEO negatur. *Sit jam*

CONTROVERSIA III.

Q. Num Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus sit, imò pro ipsis etiam reprobis?

UT verum quæstionis scopum attingamus, supponamus, in quibus adversarii consentire videntur, & in quo quoad quæstionem non consentiant. *Consentiunt* (1) meritum CHRISTI intrinsicè & ex condigno esse *καθ' αὐτόν*, i. e. si in se & infinita servatoris persona absq; intentione DEI spectetur, & quidem ita esse *καθ' αὐτόν*, ut sufficiat pro omn: hominum peccatis. *Sic Georg. Spindler* im *nüngen Bericht pag. 263.* Darumb erstrecket sich Christi Verdienst nicht so fern/ als sich die Erbschuld und der Schade erstrecket/ nicht daß Christi Verdienst nicht so frächtig sey/ daß alle Menschen dadurch können erhalten werden/ daß seyn Verdienst könnte seyn eine gnuq;ame Bezahlung für der Welt Sünde *Spanhemius de gratia universali* inquit, *Synodum Dortrecht-*

tan am

*tanam non asserere Christum mortuum esse, ad peccata totius mundi expianda, sed tantum mortem Christi sufficere ad peccata totius mundi expianda. Chamier tom. 3. l. 9. c. 4. ostendit, Calvinum docuisse, Christum pro omnibus hominibus sufficienter mortuum esse, pro paucis efficaciter. Loquitur ergo hac in parte mitius quam ipsa Dortrechtana Synodus; Inde enim resultat Calvinistica illa distinctio inter sufficientiam meriti Christi, ejusdemque efficaciam, quam orthodoxi etiam quidem adhibent, sed longè alio sensu, quamvis Piscator hic iterum suo præceptori Calvino dicam scribat, *Disput. de Prædest. Thes. 109. pro reprobis nullo modo mortuus est Christus sive sufficienter dicat, sive efficaciter. Consentiant (2) in hoc: Meritum Christi non ita esse καθολικόν, ut omni salutis medio seu ordine excluso, indiscriminatim omnes homines, fideles, infideles, electos, reprobos, ita cum patre reconciliârît, ut reconciliati justificentur, justificati sanctificentur, sanctificati æternum beentur. Consentiant (3) de voluntate Dei esse, quod meritum Christi in se possibile sit ad esse sufficiens, pro omn: hominû peccatis. Dissentiant v. in hoc: Christum ex intentione Dei Salvatorem esse Catholicû, quoad totum gen^o humanû, inq; illo singulos homines, quorû peccata sive fideiû sive infidelium, electorû sive reprobos efficaciter, i. e. actualiter expiavit, & in acquisitionis modo [non applicationis, ille enim stat cum hypothese fidei] omnib^o & singulis remissionem peccatorum acquisivit. Reformati hîc ex intentione Patris meritum Christi dicunt actualiter esse Universale, eo modo quò Ecclesia est Catholica, vel Christum quoad actualem salutem, quam ex humano genere, vel ex quovis hominum ordine confert multis, Salvatorem Catholicum appellari. *Sic ergo nostrum assertum: Meritum Christi non tantum intrinsicè & ex condigno omnibus est sufficientissimum, sed & actualiter ex intentione divinâ pro omnibus & singulis in peccatorum remissionem est præstitum.***

Argum: I. Quodcumq; resultat ex Patris dilectione, id resultat ex Patris intentione. Christum Filium DEI fieri propitiationem pro toto mundo, id est, omnibus & singulis in mundo peccatoribus, fit ex Patris dilectione. E. Major per se sat evidens. Minor apparet ex Joh: 3. v. 16. Collato cum 1. Joh: 2. v. 2. In quo notes oppositionem fidelium & mundi; totius & quorundam.

Excip. Mundus notat Electos. Resp. 1. Mundum notare omnes

E

omnes

males homines innuit distributio, quæ Joh: 3. v. 16. suscipitur, in credentes & incredulos, 2. Loquitur de mundo in perditione jacente, ob mortiferos serpentis ictus v. 14. 3. *Mundus* distinguitur à credentibus, mundum DEUS dilexit, credentes habent vitam æternam. 4. *Mundus* i. Epist: Joh: cap. 2. vers. 2. contradisting. credentibus: non pro nostris tantum &c. 5. Vox TOTIUS, i. Ep: Joh: cap. 2. v. 2. ostendit, quod vox mundi non partialiter, sed totaliter sumatur.

Argum: II. Quoscunq; DEUS vult salvos fieri, pro illis Christus ex intentione satisfecit, sed omnes & singulos DEUS vult &c. E. *Major* i. Tim: 2. v. 4. In quo continetur hæc propositio: Salvator noster VULT OMNES salvos fieri &c. Cujus ratio continetur v. 5. 6. unus ENIM DEUS est, unus & mediator, &c. qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus; Inde universalitas salvandorum consistit in universalitate meriti Christi.

Argum: III. Quicumq; in Christum ejusq; meritum credere tenentur, ad illos etiam Christus ejusq; meritum ex intentione DEI spectat. Aut enim ad illos ex intentione Dei spectat, aut non: si non, tenentur credere falsum, tenentur credere mendacium, i. e. credere id, quod aliter ore tenus à DEO injungitur, aliter corde premitur. At reprobis in Christum credere tenentur, & quidem junctâ pœnâ & temporali & æternali, nisi crederent, Act: 13. v. 39. 40. 41. 46. Ergo.

Argum: IV. Si Christus pro omnibus non est mortuus, pro omnibus non est orandum, ut convertantur, (omnia enim fiant ad orationis Dominicæ petitionem tertiam) nec omnibus est conferendum baptisma, cum baptisma sit medium, quo Christus cum suo merito hominibus applicandus; applices ergo meritum Christi baptismo illi, cui non esset ex intentione Dei applicandum, contra secundum præceptum toties fieret profanatio nominis Divini, Sacramentorum & Sangvinis J. C. &c. juxta illud Matth: 7. v. 6. *Ἄξιον* daretur canibus. Id quod perbellè intellexerunt Ministri Argentinenses, qui obinde in confessione Argensinensis Ecclesiæ, editâ Anno 1539. suis ministris hanc baptizandi normam præscripserunt: *Ego, ô DEUS, hunc baptizo secundum electionem, & tuæ voluntatis decretum, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* Inde & factum quod Beza hæc verba ore sat impio cruciavit in Colloq. *Mompelgart.* p. m. 385. *Quos DEUS æterno*
Et arcæ

Et arcano consilio ad vitam aeternam non elegit, etiamsi millies baptizarentur externo aquae baptismo, illis tamen nunquam fides aut Sp. Sanctus donatur, sed iusto Dei iudicio relictis, sua pereunt culpa.

Argum. V. 1. Cor: 8. v. 11. *Is qui hoc loco est frater, interit, Is qui hoc loco est frater, est is pro quo Christus satisfecit. E. quidam pro quo Christus satisfecit, interit.*

Argum: VI. 2. Per: 2. v. 2. *Falsi Doctores h. l. aeternum damnantur, Falsi Doctores h. l. merito Christi sunt redempti, E.*

Excipitur (1) Liberatio à caligine mentis intelligitur. Resp. In fonte extat, ἀποζωόν, quod fit certo pretio.

Excip. (2) Sunt redempti qui Dominum abnegant, non ex veritate rei, sed ex eorum opinione & gloriatione. Resp. 1. Est expositio fatuosa: Abnegabant Dominum, qui illos redemit, id est, quem putant se per illum fuisse redemptos. Resp. 2. Ita redemit, ut dum illum suum Redemptorem abnegant, sibi aeternum exitium attrahant.

Objicitur (1) Dum vult DEUS per filium omnes salvos fieri, aut praescit se id non assecuturum, aut non praescit; non hoc, sic enim non esset omniscius; sin illud, Ergo non vult, frustra enim id vellet, quod consequi non posset. R. Utiq; praescit; inde autem, dum non fieri praescit, suo fine minimè frustratur, quia ea quae non fieri praescit, non expetit absolute, sed tantum conditionaliter, hoc modo: Volo omnes per filium, uti actualiter sunt redempti, ita etiam actualiter salvos, verum hac lege; SI &c. Sin aliter; etiamsi sint actualiter redempti, nolo; & ita expetit, verum cum conditione.

Objicitur (2) Pro quibus Christus satisfecit, in illis spectatur filiationis. Resp. Nulla seqvela: Prius enim consistit in acquisitione, posterius in applicatione.

Objicitur (3) Apoc: 14. v. 3. 4. Quod dictum maximè urget Ludov. Crocius lib. 4. cap. 9. de persev. Sanct. Quicumq; ex hominibus DEO & agno sunt redempti, illi sequuntur agnum ὄρνις αὐτῶν, possuntq; ediscere Canticum illud. Reprobi non sequuntur agnum ὄρνις αὐτῶν, &c. E. Resp. 1. Consideratur hoc in textu redemptio non in articulo secundo Symbol. Apostol. sive in acquisitione, sed in articulo tertio, & quidem non in salutis per verbum & sacramenta oblatione, hæc n. est universalis, sed applicatione, quæ est particularis, hinc dicuntur

tur DEO & agno redempti, ut primitiæ, dicuntur agnum sequentes, item Virgines, quæ omnia sunt non secundi sed tertii articuli. Resp. 2. Textus loquitur de redemptis non ut sic, sed cum addito, quatenus sunt beati, & ut beati agnum sequuntur; plus ergo non inferitur, quàm: Qui sequuntur agnum, & soli cantilenam ediscere potuerunt, illi sunt redempti; inde autem exclusivè non sequitur, illos qui cantilenam illam non potuerunt addiscere, non fuisse redemptos. En rei exemplum. Omnes Judæi, detenti in captivitate Babylonica per Cyrum fuerunt è captivitate redempti, hi autem non omnes facti sunt reduces in patriam, è quâ elapsi fuerunt; de illis autem qui facti reduces, tempestivè effertur: Qui in patriam redièrunt, soliq; Hierosolymis sacrificia DEO offerunt, sunt ex captivitate redempti; inde autem non sequitur: Illos qui reduces non sunt facti, nec sacrificia DEO obtulerunt, non fuisse redemptos.

Objic. (4) Matth. 7. v. 23. Quos Salvator nunquam novit, illos nec redemit. Reprobos nunquam novit &c. Ergo.

Resp. Limitando: Quos nunquam novit & notitiâ approbationis & redemptionis. Verba sunt accipienda de notitiâ approbationis, illos autem non novisse notitiâ redemptionis, est petitio principii.

Objicitur (5) Pro quibus Christus satisfecit, illi accipiunt remissionem peccatorum. Verùm non omnes accipiunt &c. Ergo.

Resp. Confunditur in majori, remissio peccatorum in modo acquirendi & applicandi; unde non sequitur: Quodcumq; Christus acquisivit, id statim nullâ hypotheseos impletione applicatur, quæ applicatio stat cum conditione fidei.

CONTROVERSIA IV.

Q. Num Deus omnibus & singulis gratiam ad salutem sufficientem exhibeat, exhibueritq;

Communis Calvinianorum distinctio, ut supra attractum, circumfertur, quod quædam Classis sit Supra Lapsariorum, quædam Infralapsariorum, his tertia hinc temporibus tempestivè adjicitur, illorum sc: qui decretum de Electione referunt infra universalem DEI misericordiam, nec non Christi universale meritum; quorum verba
si pri-

si primo intuitu aspiceres, ad eod orthodoxorum linguam illos simu-
lantes deprehenderes, ut ambigas, utrum in foro Calvinistico, an ve-
ro orthodoxo ulterius causam dicant; ast in recessu reperies *ὁδηγὰς*
τῷ διυλύζοντάς τ' κἀνωπαί, τ' ἡ κἀμῆλον κατὰ πίνοντάς. Sed iuvat
eorum sententias saltem attigisse, ne verborum prolixâ adductio-
ne Lectori tedium creem.

Cameron, quem secuti sunt Amyraldus, Professor & Pastor Sal-
murienſis, Testardus, Pastor Reformatæ Ecclesiæ in Blois: nec non
Bremensis illè Ludovicus Crocius in suo Syntagmate, & Hermannus
Hildebrandus, bellum hic indicare videntur aliis Reformatis, statuen-
tes: I. *Deum seriâ voluntate velle omnium hominum salutem.* II. *Deum*
omnibus & singulis misisse filium Servatorem, qui pro omnibus equaliter
sit mortuus. III. *Gratiâ conversionis omnibus hominibus Deum elargiri*
sufficientem.

Regeris: Ethnicis in summâ barbarie degentibus gratiâ tamen
hanc non fuisse oblatam.

Respondent: Non tamen fuisse absq; ulla gratiâ, & quamvis illa
gratiâ fuerit insufficientis, non tamen dubium esse, si isto medio rectè
uſi fuissent, ad majorem quin pervenissent gratiâ, cum majoris gra-
tiæ collatio sit connexa cum hypothesi de non rejiciendo priorem
seu primam gratiâ.

IV. *Gratiâ hanc habere sufficientiam, in sese, ad positionem o-*
mnium, quæ ex parte Dei necessaria sunt, ad amovendam naturalem re-
pugnantiam, quæ sunt verba Crocii dissert. 9. thes. 113. Non verò esse
sufficientem & efficacem ex parte hominum, propter duritiem cordis, quò
sit, ut nemo hominum unquam illa gratiâ fuerit conversus. Inde jam
V. *Ponunt gratiâ aliquam particularem, & necessitantem, quæ si ipsâ*
Electiõnis gratiâ, & Absolutâ seu Irresistibilis. En ergo quem faciunt
fucum! Deum ita velle omnium hominum salutem, itaq; misisse Fili-
um, elargiri sufficientem conversionis gratiâ, efficacem verò gra-
tiâ, conversionem ex parte hominis necessitantem, ob absolutum
decretum nolle omnibus hominibus, sed saltè Electis concedere; ast
quæ hæc gratiæ sufficientia, quæ homini non sufficit ad conversionem
sui? & quid hoc? voluntate seriâ velle omnium hominum salutem,
nolle tamen omnibus specialem illam & efficacem conversionis
gratiâ elargiri? Sunt verborum præstigia & meræ tergiverſationes.

Verùm consulantur h. l. eorundem scripta, potissimum Apolegeti-
cum illud Testardi, quò ad ea quæ Molinæus in Eirenico improbave-
rat, respondit. *Spanhemius, Wendelinus, & alii*, qui Synodum se-
quuntur Dordrechtanam, uti negant primum & secundum, ita &
tertium, asserentes: Deum gratiam sufficientem ad fidem & conver-
sionem iis tantum conferre, quos juxta decretum suæ Electionis *Irre-*
sistibiliter vult convertere, reprobis vero gratiam ad fidem, conver-
sionem & salutem necessariam, neque concedere, neque concedere vel-
le, *vid. Acta Remonstrant. part. 2. pag. 32. seqq.* Nos antequam quid
certi ponamus, notandum prius duco id, quod citra Homonymiam
adhiberi h. l. haud poterit: 1. Vocab. Gratia h. l. norat donum gra-
tia, quod homini gratis ad sui conversionem a Deo confertur. Hæc
Gratia 2. dividitur aliàs in Ordinariam & Extraordinariam; misâ hæc,
prior est, quâ homo mediis ordinariis Deo in conversionem adduci-
tur. Estque vel operans vel cooperans: *Operans est*, quæ Intelle-
ctum & Voluntatem ita prævenit, incitat & trahit, ut Intellectus
prædicato verbo assensum præbeat, Voluntas verò incipiat actu id
velle, cui videt intellectum astipulari. Gratia hæc dicitur *Operans*,
quia quicquid hac in re in nobis fit, fit hac operante gratia. A qui-
busdam audit etiam Præveniens, quia vires ad intelligendum & cre-
dendum ministrando, Intellectum & voluntatem prævenit. *Gra-*
tia cooperans est, quæ cum Intellectu & Voluntate jam regenita coo-
peratur, ut in vero & bono, assistente gratiâ, magis magisque illa pro-
ficiat. Ab aliis dicitur Gratia subsequens, quia priorem quæ est præ-
veniens, sequitur. 3. Quando jam dicimus: Gratiam hanc esse
sufficientem, non id intendimus, quod nudè sit sufficiens, sine adje-
ctâ ad extra efficacitate, sed gratia hæc ita est sufficiens, ut in se sit fec-
cundissima, & ratione effectuum ad extra, efficacissima & operosissi-
ma. 4. Nec gratia hæc ita dicitur sufficiens, ac si omnibus & singu-
lis hominibus omni tempore fuerit *aqualis*, ita ut media salutis, æ-
quali administrantur mensurâ, v. g. Convertendi gratia Ninivitas
erat sufficiens, ast non æqualis cum gratiâ quam obtinere Capernaï-
tæ, sed sufficiebat in isto gradu, in quo sufficere debebat. Sic Ethni-
ci in summâ barbarie vitam viventes, sufficientem obtinuerunt gra-
tiam, in primo Gratia gradu, quam nî suppressissent, DEUS majore
rem

rem gratiam vi suæ immensa misericordiæ ipsi utiq; concessisset, & quamvis suffecerit in primo gradu, non tamen in secundo, quia sufficit non adæquatè sed Inadæquatè, in tantum sc: in quantum sufficere illam Deus voluit. 5. Nec gratia hæc ideo dicitur sufficiens, ac si Deus in gratiâ hæc conferendâ omnem gradum & accretionem excludat; conversio enim non est momentaneus & Enthusiasticus raptus, sed fit successivè, ita ut primò minorem gratiam insequatur, deinde Major, spectâ autem minori, subtrahatur & major. Exemplo sit Agrippas, Act: 26. v. 27. 28. Huc facit illud Christi Matth: 13. v. 12. *ὅτις ἐστὶν δοθῆναι τῷ*

Hæc præmissis, Dicimus I. DEUS omnes & singulos homines per verbi sui prædicationem ad salutem vocavit.

Argum: I. Quoscunq; DEUS ProtoEvangelio in Adamo vocavit ad gratiam, illos & ProtoEvangelio vocavit ad salutem. Sed, omnes & singulos homines Deus &c. E.

Major: Nam qui ad gratiam vocantur, vocantur ad adoptionem & hereditatem filiorum Dei. *Minor:* Nam quousq; sese extendit lapsus Adamiticus, & plaga serpentina, eò usq; etiam sese extendit remedium seu gratia in Evangelio, Adamo promissa. Lapsus Adamiticus & plaga serpentina sese ad omnes homines quoad singula generum extendit. Ergo. *Propositio* sole clarior apparet ex oppositione seminis mulieris, quod per modum medelæ icui quatenus est serpentinus icus, adhibetur; ubi ergo Adamus per lapsum suum posuit icium serpentinum, ibi DEUS in contrarium posuit semen mulieris.

Excip. Illis facta est promissio, qui nomine seminis mulieris veniunt, quia caput serpentinum debebat conteri; pro quibus ergo & in quibus caput est contritum, illi nomine seminis mulieris veniunt. Sed soli Electi veniunt nomine seminis Mulieris. E.

Resp. Missâ hujus illationis formâ, dicimus, confundi contritionem capitis serpentini in viâ acquisitionis cum contritione in viâ applicationis, & ut loquamur cum Excell. D. Danhaver. in *Hodamor. Spir: Calvin: phantasm: 7. Negamus majorem, de t̃c̃ à quibus, concedimus verò de pro quibus & in quibus.*

Argum: II. Quoscunq; DEUS vocavit in Noacho ejusdemq; filii

filiis per verbi prædicationem, illos vocavit ad gratiam, & consequenter ad salutem. Sed posteritatem filiorum Noachi DEUS in Noacho, ejusq; filiis per verbi prædicationem vocavit. Ergo. Posteritas verò est totum genus humanum. *Minor.* Noach & filii Noachi fuerunt membra Ecclesiæ veræ, quæ membra ut patres filios suos verbo DEI DEO adduxisse, quis dubitaret?

Dices (1). Hec tamen actualis prædicatione non continuatur ad postereros, quibus postmodum omnibus & singulis Evangelium non est prædicatum. Resp. Id adhuc nondum destruit nostrum assertum; nam nulla est sequela: Actu omnibus & singulis in serâ posteritate Noachi Evangelium non est prædicatum, Ergo & per verbi prædicationem à Deo nunquam sunt vocati; ab eo enim quod fit ratione poenæ, ad id quod fit absolute, nulla consequentia sufficit, quod illos vocârit, quod autem Impiis, DEUM ejusq; verbum nihili habentibus, verbum, posito summo verbi contemptu, adhuc servet, ad illud DEUS nequiquam tenetur.

Dices (2). Nec illam Actuale prædicationem extare voluit ipse DEUS in omnibus familiis, sed saltem in familia Abrahamitica.

Resp. 1. Quare Deus Abrahamum ejusq; posteritatem præ cæteris elegerit, non verò aliam gentem, non est nostrum ostendere, sed particularis & occulti Dei judicii, vid. Rom: 9. à v. 7. usq; ad 17. in quæ particularia temere inquirere est hominis magis curiosi quam veri Christiani. Idem enim quærerem, quare Paulum furore correptum extraordinarie converterit, nec simili modo omnes quoq; gentes. Resp. (2) DEUM noluisse actualem prædicationem etiam in aliis gentibus præter populum Israeliticum extare, frustra dicitur, v. g. tempore Abrahami exitit procul dubio Abraham præco non circumcisis amicis, Aner, Eschol, & Mamre. Hisce accensendus & Abimelechus Rex Geraræ fœderatus Abrahami Gen: 21. Si penes Abrahamum ejusq; domesticos & familiam verbalis prædicatione saltem debuisset existere, utique hi fidelium numero essent excludendi. Idem & asserendum de filiis Hethi, & Ephrone, à quo Abraham emit agrum; de Regule Midianita seu Ismaelita socero Mosis, in cujus tamen domo non modò circumcisio non fuit usitata, uti apparet ex facto & verbis filix Ziporæ, uxoris Mosis Exod: 4. quam ad Socerum,
à Mose

à Mose (metuente procul dubio difficultates in itinere, sive quod forte gravis paritura esset Eleezerum) remissam idem Socer ad Mosem unâ cum duobus filiis Gersone & Eleezere deduxit, Exod: 18.; sed etiâ familia à cultu Israelitico admodum aliena, Israelitis ita fuit exosa, ut Aaron & Mirjam eò potissimum nomine, quòd alienigenam sive peregrinam Moses duxisset, in Mosem ejusdemq; uxorem Zipporam invehuntur, quam vocitant Æthiopiâ Num: 12. procul dubio, quod regio Midianitarum Æthiopiâ Orientali fuerit contermina. Quid sentiendum de Bileamo? Quâvis enim subdolis esset, minimeq; serio candidus & probus, propheta tamen erat, Dominiq; alloquio fruebatur, & Spir: S. inspiratione vaticinabatur. Sic Num: 10. v. 29. mentio fit Hobabi, filii Reguelis, qui proinde fuit affinis Mosi, quem virum, rerum & regionum gnarum Moses libenter apud se retinisset, & admodum invitabat, verum recusavit Hob: b, inq;uens: Mitte, ut versuram solvam ad meos cognatos. Unde patet, quod populo Israelitico inferi, non existimârit, tum ad salutem esse necessarium, quâvis hujus tamen posterî vel certè ex illis aliqui ad illum se adjunxerint, vid. Judic: 4. v. 11. Resp. (3) Actualis illa prædicatio in semine Abrahamitico, non ex parte sui vel ex parte absolutæ alicujus divinæ voluntatis sustulit verbi prædicationem in gentibus, sed quod sublata fuerit, est ex parte subjectorum, hominum sc. verbum flocci habentium, quibus tamen verbalis prædicatio in semine Abrahamitico, si convertibiles fuissent, etiâ in salutem fuit à DEO retentâ; non enim Judæos sâcè & Profelytos sed & gentes in festis solemnioribus Hierosolymam religionis causâ iter fecisse, manifestum est, tum ex prædicatione Salomonis, 1. Reg: 8. v. 41. tum ex complemento, quod describitur 2. Maccab: 3. v. 2. 3. ita gentilem fuisse constat. Eunuchum, Act: 8. v. 27. quibus gentibus & aditus patebat ad templum, quoad certâ cultûs divini genera, nempe quoad preces, adorationes, holocausta spontanea & pia vota. Vid. J. Seldenus de Jure Ebraeor. lib. 3. cap. 3. huic fini, adjunctum fuit cæteris templi ædificiis atrium gentium, quod Porticum Salomonis haud pauci opinantur, ex quo atrio Christus ejecit vendentes & ementes, Marc: 11. v. 15. & in quo adulteram illam, ab adversariis adductam, cui interiora intrare non permissum fuit, absolvit Johan: 8. Huc etiâ spectant Pro-

F

selyti,

felyti, quorum *Alii* erant *Iustitiæ*, id est, *Iusti*; qui circumcisi, totam Mosaicam legem amplexi, & populo Judaico inserti fuerunt, qualis erat *Urias*, *Arauna* vel *Ornan* *Jebusæus* 2. *Sam*: 24. *Achior* *Ammonita*, *Judith*. 14. Item *Nicolaus* *Diaconus* *Actor*: 6. v. 6. *Alii* *Portæ*, & deducuntur ex *Deuter*: 14. v. 21. Dicuntur *aliàs* *Advenæ* *cohabitationis*. Hisce *affines* erant, qui aliunde *Hierosolymam* *ascenderunt* ad adorandum, ut *Hellenistæ*, vid. *Act*: 6. v. 1. illos *partem* fuisse deinde *Apostolicæ Ecclesiæ*, in quam nondum *admissi* erant *Græci gentiles*, certum est.

Argum: III. Quoscunq; *DEUS* per *Apostolos* vocavit, vocavit per *verbi prædicationem* ad *Ecclesiam*. *Universum genus humanum* *DEUS* per *Apostolos* vocavit. Ergò.

Excip. *Sunt genera singulorum*. *Resp*. *Dividuntur* in *Credituros* & non *Credituros*.

Argum: IV. Quicunq; certo gradu gentes in summa barbarie existentes vocat ad verâ *Dei agnitionem*, ille easdem vocat *vocatione* ad *gratiam*. Sed *DEUS* certo *vocationis gradu*, utpote per *naturam* &c. *Act*: 14. v. 17. Ergo.

Dices: *Fuit ille gradus insufficiens*. *Resp*. *Fuit natura sufficiens* *isti gradui*, in quo gradu, cum hanc *gratiam* omnes *Ethnici* non minus quam *vocationem veterem* per *verbum* suppresserint, magis magisq; in *barbariei impietatem* sunt prolapsi.

Obijcitur I. *Esa*: 52. v. 15. *Resp*: (1) Quicunq; nihil audiverunt de *Messia*, illi non sunt vocati per *verbum*, illa *connexio* est nulla; licet enim nihil audiverint de *Messia*, idq; ex *ignorantiâ propriâ culpâ contractâ*, tamen fuerunt vocati, modò *vocanti obicem* non possuissent. *Resp*. (2) *Loquitur* *Propheta* de *peculiari cognitionis modo* reservando ad gentes tempore *N. T.* estq; id in *cap*: citato *Passio Christi*, ejusq; *beneficia* tempore *Exinanitionis*, gentibus deinde per *Apostolos* in *Nov. fœdere* *explicitè* *annuncianda*. Ergo à *negatione æqualitatis* in *vocando*, ad *totalem negationem vocationis ipsius N. S.*

Obijcitur II. *Psal*: 147. v. 20. *Non fecit taliter omni nationi*. *Resp*. (1) *Disting*: inter *gratiam ipsam* ejusdemq; *sufficienciam*, & *æqualitatem gratiæ*: dictum loquitur de *posteriori* non *priori*. *Resp*. (2)

Dictum

Dictum loquitur iterum de eo quod DEUS actu non fecerit, non de eo, quod vi misericordiae facere voluit & olim fecit.

Dicimus II. DEUS per verbum & sacramenta, ut efficacissima media tum ex condigno, tum ex parte hominum, conversionem, fidem & regenerationem in omnibus & singulis hominibus vult operari, imò non tantum vult, sed etiam circa omnes & singulos in convertendo maxime est occupatus.

Argum: I. Genes: 3. Quousq; sese extendit verbum ut remedium contra morsum serpentinum, eousq; etiam sese extendit efficacitas tum ex parte remedii, tum hominis sanandi. Sed illud sese extendit ad omnes & singulos homines &c: Ergo. *Ratio connexionis hæc est*: Pone, remedium illud non esse efficax ex parte sui, ergo à DEO non potuit constitui ut remedium. Pone, non esse efficax ex parte hominis salvandi, & quidem vel hujus vel illius, ita ut istius morbus esset absolute inconvincibilis insanabilisve, ergo oppositio in textu tolleretur, quæ est: Quousq; se extendit caput serpentis, eousq; etiam seminis contritio in isto capite.

Argum: II. Quod Apostoli omni Creaturæ prædicare iussi sunt, eo sine, ut omnes crederent, id ex Intentione Dei Efficaciter omnibus hominibus est prædicatum. Sed Verbum Evangelii &c. E.

Excip: Apostoli eo sine, ut omnes crederent sunt quidem prædicare iussi, at saltè quoad voluntatem Dei extrinsecam, non verò semper & ubiq; quoad voluntatem Intrinsecam. Resp. Voluntas Dei Extrinseca, sensu Calvinistico venditata, est, quatenus omnibus, quantum ad exteriorem sensum, signum & sonum, beneficia Christi in verbo offeruntur, dicitur aliàs in foro Calvinistico Voluntas Signi. Interna ipsis est, quatenus stante absoluto Dei Decreto verbo prædicato efficaciter saltè conversione & vitam æternam operari constituit in solis Electis, non Electos verò voluntate quidem externâ invitare, at omnem internam convertendi vim ipsis subtrahere, dicitur hæc voluntas alio Calvinistici sensus nomine, Voluntas beneplaciti. Verùm distinctio hæc ut in DEUM sanctissimum blasphemum & fundamentum salutis invertens, autoribus relinquitur. Signum signato è diametro contrarium est: Velle scil: per extrinsecam voluntatem omnes homines prædicato Evangelio ad obedientiam fidei adduci,

quos tamen non omnes vult conversos, est signum signato e diametro oppositum. En, sit reprobis Calvinisequis injunctum: Credite, voluntate signi, beneplaciti verò non credere, ut filii lucis ambulate, contra per modum voluntatis intrinsecæ, pietatem fugite. En blasphemiam poenâ dignam! Voluntas ergo Intrinseca sub Notione Calvinisticâ reprobis esset cibus Tantalo appositus, & promissio Simeonis & Levi facta Sichemo Gen: 34. v. 16. Hac blasphemia, ut *Wendelinus* se suosq; gregales purget, lib. i. *Christ. Theol. cap. 1. Diserta*, inquit, *nostra est assertio, nihil DEUM velle signi voluntate, quod non simul voluntate beneplaciti velit, modo beneplacitum non quodvis intelligatur.* Verùm dum se expedire satagit, intricat. Promissiones illæ universales secundùm voluntatem extrinsecam, aut tales etiam sunt, ex parte voluntatis Intrinsecæ, aut non, si prius, salva res est, si posterius, eidem luto inhaeret.

Argum: III. Quòd idèò prædicatur, ut omnes ubiq; resspiciant, id ex Intentione DEI, omnibus & singulis efficaciter prædicatur. Qvalis enim voluntas, velle omnes & singulos, nec tamen media offerre velle, quæ sint sufficientia & efficacia, quibus homo potest reddi convincibilis. Atqui Evangelium prædicatur idèò &c. Act: 17. v. 30 è quo & seq. commate 31. ep. modi vi connexionis resultat propositio: Quos DEUS in novissimo die judicabit, illis omnibus mandat, ut poenitentiam agant, fidem per verbum omnibus offerens. Ergo.

Argum: IV. Quòd Apostoli annunciarunt omni homini, ut exhiberent omnem hominem perfectum in Christo, illud ex Intentione Dei omnibus & singulis efficaciter est prædicatum. Sed Evangelium de Christo &c. Coloss: 1. v. 28. Ergo.

Objicitur (1) Si DEUS omnium hominum salutem efficaciter operetur, idem præstaret circa conversionem Infantum in Gentilismo, eosdè ad uberiorem aetatem in vivis conservandò; At multos in prima infantia tollit, qui ita absq; omni remedio deseruntur. Resp. DEUM hic consideramus secundùm suam Infalibilem *ωεσπρωσι*, stante hac, si Deus quempiam illorum vidisset, ad uberiorem aetatem profectum optime usurum naturali lumine, non mihi quis persuadebit, Patrem, omnis misericordiæ fontè, ut & Salvatorè, pretium etiam pro istis infantibus in redemptionem peccatorum, suo pretiosissimo percaroq; sanguine

guine, olim solventem, tempus salutiferum istis infantulis invidere :
Si autem quempiam illorum præmaturâ præripit morte, qui actuali
malitiâ futurâ damnationem sibi quàm certo aggravasset, gratiæ
quid etiam præstare haud obscure videtur.

Objc. (II) Quoscunq; DEUS efficaciter vocat, illi sunt accom-
modati ad conversionem, At non omnes sunt accommodati &c. Ergo.

Resp. Impossibile esse ad conversionem dicitur duplici mo-
do: *Negative* & *Privative*. *Negative* quatenus homo ad conver-
sionem esset purum aliquod Non-Ens: uti est lapis, truncus. *Priva-*
tive, quatenus est objectum Spiritui S. possibile, ad conversionem il-
lud tunc præparandum, tunc ipsam conversionem in illo (modo non
obice ponat) operandum. Majoris prædicatum si sensu veniat poste-
riori, falsissima Minor. Exemplum esto Infidelis Agrippas, Actor:
cap. 26 v. 28.

Dices: Homo tamen in conversione dicitur se habere instar trunci.

Resp. Formula illæ quæ Formula Concord. pag. 661. ex Luthero
adhibet, dicuntur *et n.* Notandum ergo, Voluntas hominis con-
sideratur vel Formaliter & Absolutè, vel materialiter sive cum addi-
to: *Formaliter* voluntas consideratur in suo *esse*, quatenus est volun-
tas seu potentia in agendo ad actiones naturales seu pædagogicas li-
beras, hoc sensu qui dixerit, hominem non regentem se habere per
modum trunci, inferret hominis essentiam per lapsum esse mutatam
& pronuntiaret falsum Metaphysicum, nimirum, hominem non ho-
minem. *Materialiter* sive cum addito sumitur voluntas seu liberum
arbitrium pro facultate quâdam activa voluntati superadditâ, eamq;
perficiente, per quam homo promptè ad bonum inclinatur, & quod
elegit, facile exsequitur, hoc sensu orthodoxè dicimus, Liberum
arbitrium esse amissum, & quàm maximè ad objectum spirituale,
quia vis illa *ἐνεργητικὴ* ad bonum spirituale inclinans, homini quidem
primò fuit concreata, sed jam aded amissa, ut ad sui conversionem
plus resistat quàm operanti Spiritui S. obsequatur. Inde fit, quod
in conversione hominis non saltèm quoad gratiam primam seu præ-
venientem requiratur auxilium supernaturale in objecto converten-
do, & quidem potentia subjectum illuminandî, convertendi, sed et-
iam quoad gratiam secundam, seu adjuvantem, ut in bono ulterius

progredi possit. Non priori, sed hoc posteriori sensu (consideratione materiali) formula ista veniunt. Sequitur

CONTROVERSIA V.

Q. Num gratia convertendi sit irresistibilis?

Hac in quaestione omnes Calviniani conveniunt, tam mitiores quam rigidiores, idque propterea, ne Pelagianismum excitare sopitum videantur. Verba illorum citasse super sedemus. Anglus ille Twissus ad hanc quaestionem reponit: *Voluntatem Dei & irresistibilem esse & immutabilem nobis tam certum est, quam Deum esse. Quae b. l. non est, de Impedimento Conversionis in sensu composito, an impediat, posito quod fiat; omne enim, quod est, eo ipso quo est, necesse est esse, sed in sensu diviso, conversionem hominis a DEO inuentam, dicimus impediri posse. Nec quaestio est de resistentia incompletâ, quâ quidem homo reluctetur, sed non vincat gratiam, sed completâ, quâ quis gratiam completam & collatam prorsus irritam faciat. Priorem quam incompletam diximus repugnantiam, agnoscunt liberè nostri, ait Amesius in Coronide ad collationem Hagensem pag. 176. Nec quaestio est: Utrum gratia in conversione agat per coactionem sive violentiam; neque enim Adversarii volunt, voluntatem cogi, ita, ut quando velit credere, velit non liberè. Hinc Amesius cap. 1. de gratia, inquit: Ad coactionem requiritur, ut ille qui cogitur, semper maneat nolens, voluntas autem hominis, cum primò agit ex gratia, agit Volens non Nolens. Hæc quò melius intelligantur, notandum, Voluntatem nostram liberam dici duplici modo: (1) In respectu ad coactionem, quando quid per Intensionem ab extrinseco ad agendum impellitur, reluctantem agente liberè, hanc libertatem concedunt Adversarii voluntati in conversione; hæc enim, quia cum brutis illam homo communem habet, salva voluntate tolli nequit. (2) In respectu ad necessitatem, quâ positis omnibus requisitis, homo adhuc agere potest & non agere, & hanc libertatem ipsi adimunt, positis enim requisitis, dicunt, seu positâ hac speciali gratiâ homo non potest non converti. Hinc resistere non est actualiter se opponere, sed non admitte-*

re opa.

re operationem Spiritûs: non resistere, est operationem Spiritûs admittere, eademq; uti.

Sensus igitur Calvinisticus hic est: Specialis gratia Dei est hæc, ut datâ illâ, voluntas Electorum non possit non eidem subscribere, ided actualiter agit in Electos, salvâ tamen voluntate, quæ non potest non subscribere illi quod plausibile videtur. Respiciamus hic ad verba Synodi Dortrechtana cap. 3. & 4. Regeneratio est potentissima & simul SVAVISSIMA mirabilis arcana & ineffabilis operatio, virtute sua nec creatione nec mortuorum resurrectione minor & inferior, aded ut omnes illi in quorum cordibus modo hoc admirando DEUS operatur, certò, indubitato & efficaciter regenerentur & actu credant. Pro asserto nostro, nimirum Gratiam conversionis esse resistibilem, sit

Argum. I. Cuiusq; gratiæ homines nondum conversi possunt resistere, illa est resistibilis. Gratia quâ veram fidem Spir. S. in hominibus intendit operari, est gratia &c. E.

Major suis radiis clara. Minor: (ubi nores, nulla gratia propior potest esse, quàm quâ fides salvifica proximè intenditur) probatur inquam Minor Act: 7. v. 51. ubi quæritur: Concione Stephani numne DEUS voluerit serio fidem in adversariis operari, si serio & tamen non sufficientem gratiam ipsis dedisset, fictè & simulatè DEUS ibidem concione Stephani fidem intendisset, manet ergò, quod gratia illa fuerit sufficiens, cui dicuntur restitisse.

Excip: I. Stephanus loquitur de resistentiâ, que contigit non Spiritui ut Spiritui regenerationis sed Prophetico, qui erat in Patribus & Stephano. Ita excipit Ames. in Coron. ad collat. Hagienf. Artic. 4. cap. 12. Resp. 1. Spiritus ille Propheticus aut intendebat regenerationem, & Judæorum conversionem, aut non, si non intendebat, quomodo Spiritui resistere potuerunt? ratio: nam qui resistit alteri, aut resistit ejus intentioni, aut operationi, aut utriq; simul; quod si ergò Spir. S. non intendit illos convertere, nec conversionem operatus est, quomodo illi restitisse dicerentur? Resp. 2. De gratiâ conversionis est oratio Protomartyris, reprehenduntur enim Judæi, non, quod impediant Spiritui, quò minus prophetaret, sed quò minus convertantur, Inde dicuntur Incircumcisi & duræ cervicis homines.

Excip: II. Quicumq; dicuntur restitisse Sp. S. inter illos quidam fuerunt

fuertunt quorum salutem Spir. S. intendit formaliter & absolute, exemplum sit Paulus, Actor: 8. Resp. Tot sunt personæ quæ resistunt quor redarguuntur, & quot redarguuntur tot etiam fuerunt qui Spiritui S. conversionem operanti resistunt.

Excip: III. Resistunt Sp. S. operanti in aliis fidem. Resp. Oratio Stephani erat directa non ad alios quam suos sibi præsentibus adversarios, objectum ergo cui conversionem intendebat erat objectum cui concionem intendebat, hæc enim conversionem inducere sibi sumebat.

Argum: II. DEUS omnes & singulos vult salvos fieri certis ad hoc ordinatis mediis. Atqui non omnes salvantur, quæ causa? aut voluntas Dei, aut humana, non prior, vid. Controv. præced. Ergo posterior. Si posterior, Ergo voluntas hominis, voluntati divinæ salutem internè volenti resistere potest.

Argum: III. Qui possunt nolle venire cum DEUS illos seridò vult convertere, illi possunt gratiam conversionis impedire, Impiù possunt nolle &c. Ergo. Minor: Matth: 23. v. 37. Joh: 5. v. 40.

Excip: (1) Christus hæc dicit secundum humanam naturam, quæ homo libenter alterius exoptat salutem. Resp. Loquitur ut Mediator & Propheta. E. Secundum utramq; naturam, ex seipso enim Christus nihil docuit, nisi id quod docuerat Pater. Joh: 8. v. 28.

Excip: (2) Non dicitur de liberis congregandis, sed de Jerusalem, id est, primoribus & principibus, in Republ. & Ecclesia, qui obstiterunt, ne cives seu liberi congregarentur. Resp. Hierusalem notare Pontificem Maximum, reliquosque primates, hæcenus ex sacris adversariù nondum ostenderunt, sed notari eo ipso, incolas urbis, majores & inferiores, satis comprobatur scriptura.

Dices: Extat in textu: Volui congregare filios, Ergo non parentes seu Seniores vel totum populum. Resp. 1. Filii & filia lingua Sp. S. sunt incolæ urbis vel regionis, uti cuilibet obvium, qui in sacris paginis planè non est hospes, hinc civitatem Salvator propius accedens, lacrymis largiter ora rigavit ob pertinaciam non Seniorum tantùm sed ipsius civitatis, alloquendo eandem, h. e. ejusdem incolas, per Metonymiam: SI TU novisses, &c. Resp. 2. Qui noluerunt se congregari, illos & Salvator intendebat congregare; Vos, id est,

non

non seniores saltem , sed VOS Judzi , nolulistis congregari.
Ergò.

*Objicitur I. Hoc assertum de resistibilitate hominis in suâ conversione spirat Synergismum: Res ut clarior appareat; En argumentum: Quodcumque est tale pro indifferentiâ hominis convertendi ad vel resistere actu vel non resistere, id ipsum est tale ex arbitrio hominis vel resisteat vel non resistens. Gratia convertens quatenus est convertens, est tale, pro indifferentiâ &c. E. & consequenter homo convertendus ad sui conversionem concurreret & cooperaretur. Resp. Argumentum hoc confundit omnes conversionis gradus; Nam intellectus illuminatus & voluntas liberata juxta Chemit. in Loc. Theolog. de lib. arbitr. non incipit agere in puncto aliquo mathematico: Dicimus ergò conversionem secundum suos gradus ita esse astruendam, ne homo videatur ex fatali necessitate converti. Nos, ut in hac intricatâ & aliâs difficillimâ quæstione ordine progrediamur, supponimus supponenda. Notandum I. uti & in limine hujus controversiæ præcavimus, quæstionem non esse de homine in statu gratiæ jam posito, ibi enim res per se plana est, quod sc. voluntas hominis, quandò per Sp. S. est liberata, etiam sit libera & cooperetur, non tamen suis naturalibus viribus sed novis à Sp. S. donatis, Sed quæstio est de primo conversionis gradu, cum gratia præveniens adhuc circa hominem convertendum operatur. Victorinus Strigelius, seculo præterito, quamvis asseruerit, sine gratiâ assistente hominem DEO non posse confidere & diligere, statuit tamen, se aliquo modo posse ad gratiam præparare, applicare, quamvis adeò languidè, ut nî Sp. Sancti gratia accedat, nihil, ne qualemcumque etiam assensum, præstare possit. Notandum II. Liberum arbitrium considerari vel Philosophicè vel Theologicè: Philosophus quâ talis, liberum arbitrium considerat *ἐν τῷ ἀποφασί* in suis essentialibus, quatenus est potentia animæ rationalis, inquiriq; quodnam sit subjectum liberi arbitrii adæquatam, intellectusne an voluntas, si voluntas, an per modum conceptus, an verò realiter à subjecto differat, Item, numnè etiam Intellectus aliquâ libertate gaudeat, cum indifferens sit in suis actibus & proponendis objectis: utrum in tali libertate intellectu*

G

tellektui comperat indifferentia objectiva, an formalis? hæc & alia pluribus tractant Philosophi. Theologus verò considerat liberum arbitrium ἐνεργητικῶς i. e. non quærit quid sit, sed quid possit, vel quas habeat vires in agendo, maximè circa objectum spirituale. *Norandum* III. Conversionem hominis ita esse statuendam, ut essentia liberi arbitrii distingvatur à viribus illius, respectu objecti merè spiritualis; nã id fiat, herba adversariis porrigitur. Quod igitur conversionem attinet, nemo in dubium vocabit, Spiritum S. operari, & circa Intellectum & circa voluntatem convertendam, & quidem ità, ut operatio ratione ordinis conversionis incipiat circa intellectum, h. m. quo ordine Spiritus ille impurus primum hominem olim aggressus est & conatus eundem à Deo avertere, ita & Spiritum S. hominem à Deo aversum aggredi, ut illum iterum ad DEUM convertat. Processus in lapsu talis erat: Diabolus movit intellectum ut dubitaret de seriâ DEI voluntate paternâ erga homines, intellectus dubitatione depravatus, paulatim incipit assentiri verbis Diabolicis, quibus promittebatur titulus divinus; Intellectus hâc promissione commotus, movit voluntatem sub specie boni, voluntas appetitum, appetitus locomotivam, & sic secuta est tota hominis à DEO averfio, nam ut *Lyra super cap. 3. Genes. fatetur: Stante statu innocentie non poterat esse deordinatio in viribus interioribus, nisi prius esset in ratione.* Ita Sp. Sanctus opus conversionis primum aggreditur circa intellectum (inde fit, quod pœna omnis inconvertibilitatis attribuaturs oculis mentis tanquam fonti & principio incredulitatis. Joh. 9. v. 39. & 4r. Esa. 6. v. 9. 10.) tenebras mentis dispellendo, verum intellectui exactè proponendo, virtutem & potentiam, ad intelligendum illud propositum verum, in Intellectu creando, quibus omnibus à Sp. S. positus, intellectus non potest non præbere assensum, & è diametro dissentire à falso (nisi obstet vel negligentia vel malitia) libertas enim seu indifferentia strictè sumpta non est penes Intellectum sed voluntatem, hinc minus congruè dicitur, Intellectum, verum intelligere, quoad libertatem arbitrii intellectus. Nec puto, si de resistibilitate vel Irresistibilitate agatur, respici ad intellectum, sed ad voluntatem, quæ voluntas mentem potest impedire sive anticipare,

re, ut

re, ut ad verbum attendat vel non attendat, vel si attendat, somnolenter attendat.

Voluntas hominis sapius in eligendo non pendet à practico iudicio intellectus, cum ab eodem ostensum bonum vel aliquod majus bono minori præferendum vel eligere possit vel non eligere, id quod inde fit, cum non intellectus voluntatem sed voluntas determinet seipsam, imò voluntas sapius quid expetat non *ωεαυτῆρας*, imperando sc. intellectui, ut de hoc vel illo objecto iudicet & in medium consulat, sed interdum *ὑπὸ ωεαυτῆρας* absque prævio rationis deliberantis iudicio in aliquod objectum fertur, & ita intellectum antevertit. *Hic ergò queritur:* Cum voluntas, vero bono, ab intellectu per Sp. Sanctum illuminato, ostenso, possit illud respuere & non respuere (uti id argumentis supra ostendimus) si illud non respuat, sed sequatur, unde illud quod sequatur, num ex naturalibus, an verò ab extrinseco? *Dicimus ergò:* Non ex naturalibus, sive ab ipsâ voluntate, nec ut causa Efficiente, nec ut cooperante, voluntas enim in spiritualibus libero arbitrio penitus destituitur (intellige non quoad esse sed quoad operari) sed saltem ab Extrinseco principio Spiritu Sancto sc. voluntatem suâ gratiâ flectente, ut bonum ab intellectu cognitum, sibiq; propositum sequatur. *Dices:* Si id à Sp. S. flectente, homo non convertitur liberè sed irresistibiliter. Resp. Negatur, nam (1) non statim is qui moraliter flectitur i. e. adhortationibus, svasionibus, correctionibus, irresistibiliter flectitur; trahitur quidem his ipsis, uti & de conversione hominis Christus loquitur Joh. 6. v. 44. at non irresistibiliter: Trahi, & trahi irresistibiliter sunt distincta. (2) Cum tali flexione in conversione adhuc stat liberum arbitrium in suo *ἔργῳ*, quo stante homo adhuc potest reluctari, & scintillas quibus Sp. S. voluntatem inflamat pro arbitrio extingvere, contrarium hîc asserunt Calviniani, hominem sc. non posse non admittere illam gratiam trahentem. *Dices:* Si tamen non extingvat illas scintillulas, illud non extingvere non est ex voluntate convertentis, Ergò non agit liberè. Resp. Sit, uti est, non ex voluntate convertentis, tamen voluntas adhuc indifferens est ad alterum oppositum, utpote extingvere vel obicem ponere, non tantum quandò trahitur.

trahitur, sed etiam postmodum quando adhuc est conversa, fideles enim gratia posse excidere, constanter defendimus contra adversarios. Vide subseq. controversi. *Dices: Ergo dum nec extinguit, nec obicem ponit, simul cum gratia concurrat.* Resp. Negando. v. g. Qui valvas apponit fenestris, obicem ponit, quò minus museum à sole illustretur, ille quidem est causa caliginis musei, ast, motis illis, non statim simul solem vel radios adjuvat eumq; illis concurrat in actu illustrandi. *Dices ulterius: Quò tamen fit, quod alter hinc obicem ponat, alter non?* Resp. Voluntas vel anticipat intellectus illuminationem, quò minus mens auditui verbi divini se applicet vel si applicet; applicet se segniter, & ita voluntas impedit conversionem: *Vel sequitur illuminationem, si sequitur, re: ita procedit;* per verbum auditum prius via sternitur ad luctam carnis & Spiritus, quò voluntas ambigit, utrum se Christo ejusq; Evangelio velit submittere nec ne; hanc viam quò pedetentim semina ad hanc luctam sparguntur, penes hominem est, obstruere viam hanc ad luctam vel non obstruere (loquor de vià ad luctam, non de ipso conversionis actu, quò voluntas liberata incipit assentire operanti Sp. S. gratiæ, illud enim luctam sequitur) inde fit, quamprimum homo sentit, semina luctæ dari, statim in principio omnibus ad luctam tendentibus obluctatur, vide Felicem Act. 24. v. 25. & ita vià ad hanc luctam obstructà, quam potuit per gratiam Sp. S. non obstruere, homo non convertitur.

Obijcitur II. Causa prima omnes actus in causis secundis determinat, ita ut nulla secusdæ cause actum sibi possint determinare, nisi determinatio sit facta à causa prima. Resp. Dissentiunt hinc iterum Calviniani. Mitiores dicunt, voluntatem determinari pratico iudicio intellectus h. m. ut illuminato iudicio voluntas non possit non obsequi intellectui. Verum quomodo homine etiam converso, ejusdemq; iudicio illuminato, conversus queratur se illuminato intellectui non semper obsequi, testis est Paulus Roman. 7. aliquoties. Imò stante hac sententià, nullum peccatum dicendum contra conscientiam vel peccatum voluntatis, quia omnia hæc fiunt refragante intellectu, vide quæ diximus circa voluntatem in solut. prioris objectionis. Quidam qui rigidiores, illi omnia dicunt fieri ex deter-

determinatione causæ superioris, voluntatem secundum normam æterni & absoluti decreti moventis & non moventis. *Sic Sobnius in disput. Heidelberg. 13. thes. 8. 9. Liberam arbitrium ita est liberum, ut tamen à decreto & providentiâ DE I pendeat, atque hoc respectu necessariò eligat quod eligit.* Verùm hæc opinio ipsum DEUM efficeret omnis contumaciæ & impœnitentiæ causam, imò omnes peccatores redderet *ἀπολογητὰς*, DEUS enim terminaret quousque homo boni quid exercere debeat necne, nec ullus homo vel laudem vel vituperium mereretur, cum actio ex necessitate nec laudem nec vituperium agenti importet. Ad propositionem argumenti respondeo, DEUM determinare quidem actiones tum malas tum bonas, at non eodem modo: Bonas, à priori cor movendo in eligendo actiones, at non ita malas, malas n. jam ab homine electas ita determinat, ut terminum ipsis statuatur, & ad optimum finem illas deducat.

CONTROVERSIA VI.

Q. An Electi peccatis fidem & Spiritum Sanctum penitus excutiant?

ANtequam quæstionem certis corroboremus argumentis, liberemus eam prius amphiboliâ. I. Electorum nomine nobis veniunt homines, quos DEUS ab æterno, Christum, ministerio Spiritus, fide in ejus merito apprehensuros & finaliter credituros præcognovit, & ex mera gratia citra illorum meritum immutabiliter elegit & prædestinavit in Christo. Calviniani, Electos non nisi illos arbitrantur, quos DEUS absolutâ gratiâ, absque meriti & fidei tanquam causarum intuitione elegit, & positâ absolutâ hac Electione nolunt quæmpiam beneficiorum in Christo exhibitorum fieri participem, nisi fuerit Electus, inde fit, quod hanc propositionem dicant ad convertentiam: *Omnis Electus est renatus & justificatus, & vice versa.* & ita hos terminos: *esse renatum, Justificatum, Electum,* confundunt. Nos contra certis argumentis ostendemus, quosdam renatos & justificatos non esse electos sed reprobos, intellige non sensu conjuncto sed disjuncto, sc. quosdam qui sunt vel fuerunt, non quatenus sunt s. fuerunt renati, non tantum temporaliter

sed & finaliter gratiâ DEI & fide excidere posse. II. Voces *Penitus, Prorsus, Omnino* etiam adhibentur ab adversariis hac in quaestione, sed sensu, orthodoxo planè contrariò; notandum ergò, quod illæ voces adhiberi queant cum *quædam* ad subjectum vel ad adjunctum, ad subjectum quatenus illud planè amittat gratiam & fidem, ita ut nullus fidei actus aut habitus salvificus remaneat. Ad adjunctum verò dicit respectum ad adjunctum tempus seu temporis durationem, h. m. ut excidant gratiâ & Spiritu S. ad vitæ terminum usque. Sensu priori contra adversarios quaestionem affirmamus, posteriori verò negamus, est enim contradictio in adjecto, Electum esse, & finaliter gratiâ DEI excidisse. III. Fides quæ excidere illos posse tuemur, nobis non est fides hypocritica, civilis aut Aristotelica, vel etiam historica & miraculosa, sed salvifica consistens in fiduciali meriti Christi apprehensione. IV. Excussio illa Sp. S. non est violenta sed est contristatio, exasperatio, irritatio, Sp. S. enim non animam omnibus peccatis sese volutantem in habitaculum sibi eligit, sed ut sanctus, sic & templum sibi sanctum expetit. V. Per Sp. S. nobis non intellecta venit nuda Sp. S. essentia, quæ cum infinita, & omnipotens, propriè expelli vel abigi nequit, nec intelligimus nuda Sp. S. dona, illis enim positis, etiam ipse Sp. S. ponitur, nec dona illa vel extraordinaria seu miraculosa, vel etiam ordinaria quæ corporalia dicimus, qualia sunt vel animi vel corporis, illa enim adhuc stare posse fide salvificâ amissâ, comprobant hypocritæ, & alii impii homines, *Sed intelligimus: gratiosam Sp. S. inhabitationem & gubernationem, quâ in filios DEI adoptati & obsignati fuerunt, & quidem non in actu primo ut Beza in respons. 2. ad acta colloq. Mompelg. p. 68. scribere non veretur: In illo casu (intellige homicidium & adulterium Davidis) sensum quidem & usum fidei veræ ad tempus amitti posse, fidem autem ipsam veram amitti se negare.* Hanc sub cineribus quasi latere plerique Calviniani contendunt, inter quos etiam sunt, qui negotium hoc similitudine ab ebriis & phreneticis petita declarant. Verùm ineptam hanc esse distinctionem, apparebit ex argumentis pro orthodoxiâ nostrâ nexis. VI. Per peccata non intelligimus fidelium infirmitates, quibus non statim fidem & Sp. Sanctum amitti, facile

facile largimur adversariis. *Status igitur controversia in eo consistit:*
Utrum sancti qui per verbum & Sacramenta sunt regenerati, verâq;
in Christum fide cum fiducia donati, omnes ad finem vitæ, in fide
stent & permaneant, ita ut deficere ab ea nequeant & actu nulli de-
ficiant? *Et rursus:* Num quidam Electorum, licet finaliter perse-
verent, ad tempus fidem justificantem amittant, nec ne? quoad
priorem defendimus partem negativam, in posteriori affirmati-
vam. Sit.

Argum. I. Quicumque se potest à justitiâ ita declinare ad im-
pietatem, ut in illâ moriatur, is fide salvificâ potest excidere. Ju-
stus justitiâ fidei salvificâ in Christum potest &c. Ezech. 18. v. 24. E.

Excip. (1) Propheta loquitur non de fide verâ sed hypocriticâ.
Resp. 1. Colligo ex v. 6. 7. 9. 28. & 29. Ea justitia in quâ justus vi-
vit, nec moritur impiâ peccatorum morte, est justitia hujus loci.
Justitiâ ex fide vivit justus &c. Rom. 1. v. 17. E. Resp. 2. Ille justus
h. l. intelligitur cujus impia facta amplius non memorabuntur,
v. 22. Sed hypocritarum facta impia amplius memorabuntur.
Ergo. Resp. 3. Justus qui actâ penitentiâ se ad Dominum con-
vectit, sibiq; in eo cor novum facit & Spiritum novum, est justus
hujus loci v. 31. *Solus justus ex fide, id facit Ergo.* Resp. 4. Si im-
pius hic pro vero impio accipitur, qui taliter manens, damnatur,
etiam justus pro vero justo, qui taliter manens cœlum adit, accipi-
endus est, quia vera h. l. est oppositio, oppositorum autem eadem
ratio. Imò ille justus h. l. intelligitur qui habitat in tentoriis Do-
mini & monte sanctitatis Domini, & non movebitur in aeternum.
Confer. v. 6. & seq. cum Psal. 15. v. 1. & ult. Verùm non hypocri-
tæ, non civiliter justî, habitant ita, sed soli ex fide justî. E.

*Excip. (2) Verè justus non potest morte aeternâ perire. Atqui ju-
stus h. l. perit morte aeternâ.* E. Resp. Verè justus in sensu conjun-
cto, concedo majorem, at ita falsa minor. Textus loquitur de
justo à justitiâ se declinante, illum verò non posse aeternum perire,
est petitio principii.

*Excip. (3) Propheta loquitur de morte temporariâ, quam DEUS
infligit illis, qui à vero DEO ad falsum se inclinant.* Resp. (1) Illos qui à
vero DEO ad falsos se inclinant non incurrere aeternam dampnati-
onem

onem, est fenestram omni impietati aperire. Illa mors est hujus loci quæ peccatis & abominationibus præcipuè debetur, & quæ moriuntur impœnitentes, cui opponitur vita, quæ peccatores conversi & justificati vivunt. Atqui mors peccatis & abominationibus præcipuè debita est æterna. Resp. (2) Illa mors est hujus loci, quàm impœnitentia avertit, illa autem est æterna, nam temporalis, ita avertitur.

Excip. (4) à Contra-Remonstr. in actu Synodi: Sermonem esse conditionalem, conditionem autem nihil ponere inesse. Resp. 1. In textu originali non extat conditionalis particula SI. Sed verba ita redduntur: *Cùm avertit se justus.* Et quamvis particula *Cùm* æquipolleat conditionali SI, tamen illa non est impossibilis, sed frequentata in populo Israelitico, ut optime subsumi potuerit: Hic vel ille justus avertit se à justitiâ, nam DEUS dehortatur justos, ne avertant se à justitiâ suâ, Ergò si non possit se avertere, cui bono acris illa dehortatio tot minis facta?

Argum. II. Qui faciunt opera carnis, fidem & Sp. Sanctum totaliter amittunt, nam: *Talia facientes non hereditabunt regnum DEI.* Gal. 5. v. 21. Quidam credentes &c. E. Minor. e.g. Loth, David. &c. Sic Homicida non habet vitam æternam in se manentem 1 Joh. 3. v. 15. David fuit homicida E. Conclusionem etiam ipse Nathan admittit, cum ad sententiam ab ipso Davide latam reponit: Tu es ille Vir mortis; per quam mortem Nathan non temporalem sed æternam intellexisse probant verba absolvendi: Non morieris. 2 Sam. 12. v. 13. cum quo confer v. 5. 6.

Excip. Qui committunt homicidium pleno voluntatis consensu non ex carnis imbecillitate. Resp. 1. Opera carnis facere, ut homicidium & adulterium committere, esse ex infirmitate involvit contradictionem, nam qui talia perpetrant, patiuntur sibi prædominari carnem, & sic non ex infirmitate delinqunt. Resp. 2. Quod David pleno consilio peccatum commiserit, ostendunt tot ejusdem machinationes & consilia de opprimendo Uriâ, item, perseverantia in impietate per integrum annum.

Argum. III. Nullus Electus per peccata excidit gratiâ DEI, Adamus fuit Electus. E. *Majorem stabiliunt Calviniani ex absoluto*

solutio Dei decreto, quod facit Electum non gratiâ Dei excidere, at
quis hominum communium in majori gratiâ unquam positus, quam
Adamus in statu innocentiae?

Nec minorem negabunt. Quid autem fiet de conclusione
quæ homines per lapsum Adami facit non excidisse gratiâ Dei?

Argum: IV. Hebr. 12. v. 25. Paulum Apostolum hoc loco
alloqui conversos Judæos, qui accelerant ad montem Zion & civita-
tem Dei viventis & ad N. T. Mediatorem & c. v. 22. apparet. Hoc
nihilominus monet & à simili exemplo pariq; casu parem veterum
Judæorum & Christianorum infirmitatem depingente, ad stabilita-
tem incitat. Inde argumentum: *Qui iisdem infirmitatibus & la-
psuum timori sunt obnoxii quibus Judæi in V. T. obnoxii fuerunt, ii faci-
le possunt excidere fide.* Atqui Judæi Christiani iisdem & c. E.

*Objicitur I. Omnes sancti de sua fide, de perseverantiâ in eadem,
deq; vita æterna sunt certi.* Resp. Tria hæc conclusio asserit (1) quod
sancti sint certi de sua fide, (2) de sua perseverantiâ, (3) de vitâ æter-
nâ, de quibus id notamus; Licet sanctus certâ fiduciâ de sua fide de-
beat *ἀληθῶς πορεύσθαι*, non tamen semper æqvè certus est, velut in du-
bitationibus tentationum, ubi nonnunquam cum desperatione lucta-
tur, ut autem non desperet, Sp. Sanctus *exterius* per verbum promif-
sionis & Sacramenta, *interius* per suam gratiam adest, sustentat & ro-
borat; si autem de fide dubitat, dubitat etiam de sua æternâ salute. In-
terim, extra tentationis casum certitudo perseverantiæ potest confi-
derari *vel ex parte Dei, vel nostri*: quoad DEUM, ejusq; voluntatem in
verbo patefactam statuere debemus id, quod Paulus Rom. 8. v. 38. 39.
huc spectant verba Joh. 10. v. 28. Quoad nos verò certitudo illa est
conditionalis, scilicet si maneat homo in eo statu, in quo jam de fide
sua præsentem certus est, vel eo quidem excidat, per veram verò pœni-
tentiam ad eundem ante vitæ finem saltèm recurat. *Respondeo jam ad
Majorem argum:* Quod sancti sint certi de sua salute imò quàm cer-
rissimi ex parte Dei, ex parte sui verò cum metu & tremore salutem
operentur.

*Objicitur II. Fides credendis est flumen aquæ vitæ, Joh. 7. v. 38.
E. Non defectibilis.* Resp. Verum est de fide in sensu conjuncto,
quamdiu ex fide est justus.

H

Objici-

Obijcitur III. Intercessionis Christi virtus pro omnium sanctorum fide & salute. Resp. (1) Intercessit etiam pro fide Petri, qui tamen abnegando & abjurando Christum, fidem Salvatoris sui amisit. Resp. (2) Intercedit vi meriti Hebr. 7. v. 24. Ergo pro quibus sacrificium obtulit, pro illis intercedit, hanc majorem adversarii non audent negare. Atqui pro omnibus sacrificium obtulit, quod satis demonstratum in superioribus. Ergo pro omnibus intercedit. Pone jam, illos pro quibus intercedit, non excidere gratia, subsumo, pro omnibus intercedit, Ergo nullus ulterius erit peccator in rerum natura. Resp. (3) Virtus ergo intercessionis consistit in hoc: ut quisquis post lapsum verà in Christum fide DEUM adeat, gratiam & vitam æternam stante hac intercessione Christi validissimâ, in merito satisfactorio fundatâ, semper obtineat, & ita aditus ad gratiam & salutem æternam nemini non pateat. Et si lapsus præclusus non est, multò minùs præclusus erit stantibus, & cum infirmitatibus coluctantibus.

Obijcitur IV. Qui in Christum credunt, manent in illo. Johan. 6. v. 56. *Manere autem in Christo est continenter in eo perseverare.*

Resp. Plus non infertur quàm: Qui in Christum credunt, ut credentes continenter manent in Christo, non verò: Illi nunquam ne ad momentum quidem suis peccatis recedunt à Christo, hoc enim adhuc est in questione. Sed & de his satis.

Ad complementum hujus articuli, sat expositi, præter cæteras controversias, accedit demum adhuc illa Hübèriana, propugnans Universaliam DEI electionem. Verùm latius eandem persequi, nimium paginarum prohibet incrementum, Paucis itaq; rem absolvam. Sit

CONTROVERSIA VII. & Ultima.

Q. An Electio sit Universalis?

Hübèriani ad constitutionem Electionis pertinere gratiam Dei, & meritum Christi, consentiunt; fidem autem excludunt, quam pertinere, *ajunt*, non ad constitutionem Electionis, sed tantum ad Electionis applicationem, inde Fidem nuncupant: *Manum Electorum*
appre.

apprehendentem, & Voluntatem Dei, manum dantem. Nos concedimus: In latissimo significatu, omnes homines ad vitam, non ad mortem esse destinatos, quatenus scilicet prædestinatio saltem consideratur secundum universalem Dei dilectionem & voluntatem antecedentem, quò respectu nonnulli Theologi etiam ante Hüberum dixerunt: *Electum esse totum mundam.* Quatenus verò Electio consideratur in propria significatione, objectum sibi non vendicat universale, sed speciale. *Probat*ur (1) vocis Erymo. (2) Matth. 20. v. 16. Pauci electi. (3) Electio est facta secundum *Περίωριστον*. (4) Rom. 8. v. 29. Quos prædestinavit &c.

Obicitur I. Quicumq; debent esse sancti, illi sunt Electi; nam sanctitas est finis Electionis. Ephes. 1. v. 4. *Omnes homines debent esse sancti.* Ergo.


Resp. Neg. Major. Quia sanctitatis studium non est finis Electionis proprius, sed communis, siquidem & prædicationis, & redemptionis, & creationis finis est.

Obic. II. Quod maxime urget Hüberus, & aliquid roboris continere putat: Cujus causa omnes Universales, id ipsum ut effectum est universale. Causa Electionis sunt. &c. Ergo.

Si quis negarit, fidem esse causam universalem, reponit Hüberus *negando*, fidem in Electione esse causam instrumentalem. Nos respondemus. Quicquid sit de causalitate fidei, & quomodo appelletur, est tamen causa vel conditio necessaria, quia gratia Dei & meritum Christi non sunt causa proxima & immediata Electionis, sed meritum Christi, ut fide apprehensum, quod non universale,

sed particulare. Hæc itaq; pro ratione instituti sufficient.

Soli sapienti, Indivisibili ac Individuæ S. S. Trinitati, Patri, Filio, ac Spir. S. sit laus, honor, & gloria, in sempiterna secula!



Egre-

Egregios, GERBERE, sibi mens destinat ausus
Jam tua, jam labor est splendidus ille tuus,
Dum, quâ mente DEUS prædestinet optimus, omni
Fontibus è sacris sedulitate probas.
Nullis horribilis facies est Numinis almi,
Quàm qui non horrent contemere DEUM.
Pro facie tristi divinâ, prælia perge.
Destinat egregium næ DEUS ipse decus!

Scrib. benevola mentis mnemosynon

Job. Georg. Dorscheus, D.
Acad. h. t. RECTOR.

Ardua sunt, sanctoq; Bonis examine digna,
Quævis sacri vigilans studii hæc cum laude labores
Actos obsignas. TE ducat Gratia Cæli,
Admotumq; suo, ceu fere Suprema Voluntas,
Officio, firmet, foveat, juret atque gubernet,
Ut præfinitam sapias, GERBERE, Coronam!

Hermannus Schuckmann, D.
Præses.



soluto Dei decreto, quod facit Electum non gra-
quis hominum communium in majori gratiâ uno
Adamus in statu innocentie?

Nec minorem negabunt. Quid autem fi-
qvæ homines per lapsum Adami facit non excidiss-

Argum: IV. Hebr. 12. v. 25. Paulum Ap-
alloqui conversos Judæos, qui accelerant ad mon-
tem Dei viventis & ad N. T. Mediatorem & c. v.
nihilominus monet & à simili exemplo pariq; ca-
Judæorum & Christianorum infirmitatem depin-
tem incitat. Inde argumentum: *Qui iisdem in-*
psuum timori sunt obnoxii quibus Judæi in V. T. obno-
lè possunt excidere fide. Atqui Judæi Christiani iis de-

Objicitur I. Omnes sancti de sua fide, de perse-
deq; vita eterna sunt certi. Resp. Triahæc conclu-
sancti sint certi de sua fide, (2) de sua perseverantia,
nâ, de quibus id notamus; Licet sanctus certâ fidu-
beat *ἀληθῶς φροῦδιῶν*, non tamen semper æqvè certu-
bitationibus tentationum, ubi nonnunquam cum du-
tur, ut autem non desperet, Sp. Sanctus *exterius* pe-
fionis & Sacramenta, *interius* per suam gratiam ad-
borat; si autem de fide dubitat, dubitat etiam de sua
terim, extra tentationis casum certitudo persevera-
derari *velex parte Dei, vel nostri*: quoad DEUM, eju-
verbo patefactam statuere debemus id, quod Paulus
huc spectant verba Joh: 10. v. 28. Quoad nos ver-
conditionalis, scilicet si maneat homo in eo statu, in
sua præsentem certus est, vel eo quidem excidat, per-
tentiam ad eundem ante vitæ finem saltèm recurrat
Majorem argum: Quod sancti sint certi de sua salu-
tissimi ex parte Dei, ex parte sui verò cum metu &
operentur.

Objicitur II. *Fides credendus est flumen aqua*
E. *Non defectibilis.* Resp. Verum est de fide in
quamdiu ex fide est justus.

H

